



HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY


SIGILLVM ACADEMIAE HARVARDIANAE IN NOV ANG
VE RI TS
CHRISTO ET ECCLESIAE

QUAESTIONES GRAMMATICAE AD DRACONTII CARMINA MINORA ET ORESTIS TRAGOEDIAM SPECTANTES.

DISSERTATIO PHILOLOGICA

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO ORDINE PHILOSOPHORUM

MONASTERIENSIUM

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

BERNARDUS WESTHOFF.

MONASTERII.

EX TYPOGRAPHIA KRICKIANA.

MDCCCLXXXIIII.

De *„Orestis tragoediae"*, quae vocatur, auctore, cuius nomen nobis neque codicum inscriptione neque per alios scriptores traditum est, primus Fr. Haasius in Miscellaneorum philologicorum libro tertio Wratislaviae anno 1861 edito (p. 32.) eam coniecturam fecit ut putaret, auctorem huius carminis adulescentulum fuisse atque operam navasse rhetoricae iurisque studio. De poetae patria Maehlyus in prolegomenis editionis (p. XIII.) ita disseruit, ut eum Graecum fuisse contenderet, quam sententiam etiam L. Muellerus (Mus. rh. tom. XXI. p. 455 sqq.) probavit. Quibus viris adversatus est Carolus Schenkelius, qui in editione (p. 22.) sagaciter sane odoratus est, auctorem natione Africanum fuisse, simulque satis perspicue demonstravit, poetam fidem christianam professum esse, Haasii sententia, refutata qui illum a fide christiana alienum fuisse affirmaverat (p. 26.). Sed paucis annis post quaestio illa, quisnam esset Orestis tragoediae auctor, in novum quendam statum est deducta. Ang. Maius enim, cuius post mortem in appendice operum anno 1871 Orestis tragoedia et Dracontii *„Helenae raptus"* edita sunt, suspicatus est, ab eodem illo Dracontio Orestis tragoediam quoque esse compositam, quod de Duhnius, qui Buechelero adhortante Dracontii carmina minora, quae vocantur, in lucem protulit, in editione (p. VIII.) pro certo contendere ausus est. Et quamquam M. Schmidtius (Mus. rh tom. XXVIII. p. 202.) causis non adhibitis contendit, Feliciano, Dracontii magistro, hoc carmen tribuendum esse, tamen Baehrensius in Fleck. ann. tom. 107. p. 271., quamvis vehementer eodem loco de Duhnii editionem Dracontianam ipsam ut nimis neglegenter paratam maximo opere reprehendat, non dubitat, ei, quod ab illo viro de Orestis tragoediae auctore dictum est, assentiri. Quod quo iure ille fecerit, hoc demonstrandi initium iam fecit Rudolfus Peiperus in editione *„Dracontii Orestis tragoediae"* Wratislaviae 1875 parata (p. 44

sqq.), cum multos locos ex Orestis tragoedia attulit, qui etiam apud Dracontium inveniuntur. Idem, quod Peiperus, Rossbergius quoque comprobare studuit commentatione Göttingensi, quae inscribitur: *„De Dracontio et Orestis, quae vocatur, tragoediae auctore eorundem poetarum Vergilii Ovidii Lucani Statii Claudiani imitatoribus“*. Nordae. 1880. Sed hic, quamvis multos maximi momenti locos invenerit, editionis Orestis tragoediae a Peipero paratae rationem non habuit itaque multos locos, qui iam in illo libello adnotati erant, se primum invenisse contendit. Nonnulli etiam loci a Peipero iam laudati Rossbergium effugerunt*).

---

*) Adn. 1. Liceat mihi, illis locis a Peipero allatis nonnullos addere, quos haec carmina perlegens adnotavi:

Drac. VIII. 74: Concidit et Scaeae iacuerunt limina portae.
Or. trag. 593: per limina portae
Obsidet.
Drac. VIII. 263: si iusseris ipse, loquentur.
Or. trag. 77: quasi iusseris ipse venirem.
Drac. IX. 104: Hector in hoste fuit saevus cum vita maneret.
Or. trag. 711: Qualis in hoste fuit trux irrevocabilis Aiax.

Quibus addam nonnullos locos ab aliis nondum indicatos, ex quibus elucet, quantopere auctor utrorumque carminum sui ipsius imitator fuerit:

Drac. II. 26: Et clipeo rutilante tonet dum miles adulter.
„ IV. 43: Quae clipeo rutilante tonas, quae fulmina vibras.
„ II. 78: Arcu cinctus erat, dantur post terga pharetrae.
„ VI. 46: Huc ades armatus fluidis post terga pharetris.
„ II. 113: Tendunt membra simul cunctis respirat hiatus
Oris et ad crines digiti mittuntur amantum?
„ X. 232: cur explicat artus
Aut tangit cur saepe caput, quid spirat hiatus
Oris et ad zonam digiti mittuntur inermes?
„ III. 20: Nam tua sint, quaecunque loquor, quaecunque canemus.
„ Sat. 113: Nam tua sint, quaecunque gerit, quaecunque iubebit.
„ IV. 23: Sibila vibrabant linguis ab dente trisulcis.
„ X. 466: Sibila vipereis vibrant sub dentibus angues.
„ V. 312: Gramina non tangunt, feriunt sed fulmina quercus.
„ Sat. 277: Fulmina non feriunt reptantia gramina terris.

Verum ex illo maximo locorum numero haec tantum colligi possunt, primum auctores utrorumque carminum eosdem poetas adamasse atque imitatos esse, tum notitiam habuisse aut Dracontium Orestis tragoediae aut Orestis tragoediae auctorem carminum Dracontii, denique utrumque poetam non dubitasse nonnullas sententias in carminibus iterare; omnia vero haec carmina eidem poetae tribuenda esse, hoc modo cum necessitate quadam demonstrari non potest. Ac mihi quidem persuasum est, ipsum Rossbergium hoc vidisse, cum promitteret, (p. 1. et 3.), se, ut suam sententiam extra omnem dubitationem poneret, quaestiones instituturum esse de elocutione, qualis esset in utrisque carminibus. Quam cum miro modo concordare illa carmina perlegens viderem, permotus sum, ut in hac quaestione accuratiorem operam ponerem, atque ex ea luce clarius appariturum esse puto, Orestis tragoediam a Dracontio non esse abiudicandam. Ordinem huius commentationis instituti secutus syntaxim historicam linguae latinae a Draegero conscriptam. In citandis Orest. trag. versibus usus sum editione a Peipero parata.

Drac. VI 61: Justa libido coit,
„ X. 264: Blanda libido coit,
„ VIII. 8: Quo membratur homo, pater est fons, auctor, origo.
„ X. 129: Affectus, natura, genus, fons, auctor, origo.
„ VIII. 142: Funeris Hectorei pretio maiore redemptum.
„ IX. 44: Funeris Hectorei poscens exsangue cadaver.
„ VIII. 610: Tunc pater absenti tumulum formabat inanem
„ IX. 91: Andromache tumulum sibi formet inanem.

Or. trag. 190: Nec labor ullus erit victorem sternere ferro.
„ „ 661: Nec labor ullus erit mulierem sternere turpem.
„ „ 238: Morte maritali tunicam subnixa ferebat.
„ „ 540: Morte maritali sceleratam iure necabis.

Pars prior.

I.

De partibus orationis.

De substantivis. In nominibus concretis Dracontius saepe numerum pluralem pro singulari admisit: „colla": II. 85. 155. V. 24. 105. 246. 275. VIII. 111. 106. 160. 353. 556. 561. X. 422. Sat. 36. „corda": VII. 132. VIII. 104. 349. X. 71. 223. 241. 328. „*dorsa*": IX. 180. X. 170. „ora": II. 132. V. 260. VII. 20. VIII. 106. 111. X. 505. „pectora": VI. 114. IX. 183. „terga": II. 73. VI, 46. VIII. 557. IX. 186. — „*aquae*": II. 32. 33. 124. 127. VIII. 247. 388. 394. 396. 426. 562. 583. IX. 138. X. 87. 99. 391. „arenae": VIII. 250. 394. 432. 575. IX. 157. „ignes": I. 28. 36. 150. X. 243. „*lanae*": II. 30. X. 35. „mella": II. 110. VII. 48. „*pluviae*" Sat. 79. 293. „*pruinae*": Sat. 79. „*tura*": V. 321. „*venena*": II. 110. IV. 22. 51. V. 183. VII. 48. X. 528. 577. Sat. 68. — „*aequora*": X. 90. 101. „arae": V. 131. 150. 158. 321. VIII. 151. 452. 488. X. 70. 80. 182. 208. 256. „busta": V. 115. IX. 12. 126. 128. „*capitolia*": V. 41. VIII. 81. (cfr. Verg. Aen. VI. 837. VIII. 347.). „limina": VIII. 74. „*monumenta*": V, 292. „pepla": VIII. 617. „*pocula*": V. 78. 212. „rogi": IV. 52. X. 107. 552. „*stabula*": VII. 87. „templa": V. 243. VIII. 89. 481. X. 64. 302. „*terrae*": II. 42. 76. 92. IV. 5. 7. „thalami": VIII. 575. 641. IX. 59. X. 338. 356. 450. „tori": II. 37. „tumuli": IX. 10. 126. — „populi" i. q. homines = Leute: VI, 70. X. 522. (cfr. Apul. met. XI. 13. XI. 16.).

Eadem fere exempla in Orestis tragoedia inveniuntur: „colla" vv. 60. 145. 214. 229. 644. 750. „corda": vv. 104.

119. 583. 881. 923. „ora": vv. 62. 154. 219. 267. 524. „pectora": vv. 558. 742. 837. — „arenae": v. 793. „ignes": vv. 174. 442. 824. „mella": v. 568. — *„antra"*: v. 274. „arae" v. 869. „busta": vv. 408. 479. „limina": vv. 248. 593. *„mensae"*: v. 855. *„pallia"*: v. 786. „pepla": v. 51. *„plectra"*: v. 274. *„recessus"*: v. 273. „rogi" v. 970. „templa": vv. 10. 81. 194. 465. 817. 867. 955. „thalami": vv. 23. 78. 80. 158. 248. 970. „tori": v. 24. *„tripodes"*: v. 274. „tumuli": v. 456. — „populi" i. q. homines: vv. 382. 384. 958.

Haud raro Dracontius substantiva abstracta in plurali numero posuit ac praesertim quidem ea, quibus animi affectus exprimuntur: „amores": VI. 66. „animi": VIII. 627. IX. 141. „gaudia": VI. 23. 71. 91. IX. 51. „irae": VII, 130. VIII. 285. IX. 142. Sat. 209. „luctus": IX. 51. „mentes": VIII. 285. IX. 195. *„sensus"*: VIII. 626. „spes": II. 150. *„vapores"*: VI. 50. — Certis legibus distingui non possunt haec: „commercia": IX. 115. „consortia": VIII. 288. *„crementa"* VI. 101. Sat. 237. *„culpae"*: V. 83. *„cursus"*: X. 192. „fletus": II. 133. VI. 95. *„fremitus"*: V. 309. VI. 71. *„mortes"*: VIII. 156. 162. 170. X. 8. 320. Sat. 217. „planctus": IX. 199. *„repüdia"*: X. 295. *„sibila"*: IV. 23. X. 466. *„visus"* IX. 91. *„vitae"*: X. 8.

Iam vide exempla Orestis tragoediae: „animi": vv. 18. 39. 228. 234. 299. 933. *„favores"*: v. 321. *„furores"*: vv. 20. 424. 931. „gaudia": vv. 1. 63. 101. 118. 128. 159. 380. 671. „irae": v. 102. „luctus": vv. 90. 217. „mentes": vv. 304. 627. 657. „spes": v. 290. *„taedia"*: vv. 546. 933. *„timores"*: v. 142: — „commercia": vv. 61. 518. „consortia": v. 967. *„cultus"*: v. 350. *„damna"*: vv. 178. 304. „fletus": v. 473. *„gemitus"*: vv. 64. 159. *„gressus"*: v. 696. *„habitus"*: v. 251. *„lamenta"*: v. 90. *„otia"*: v. 395. „planctus": v. 101. *„silentia"*: v. 938. *„singultus"*: v. 64. *„tactus"*: v. 70.

Frequentissime apud Dracontium substantiva abstracta vice concretorum funguntnr, velut: „amor" i. q. homo amatus: II. 118. VIII. 168. „amor" i. q. amore inflammatus: VII. 66. X. 66. *„funus"* i. q. cadaver sive corporis reliquiae: IX. 24. 34.

„hospitium“ i. q. hospes: VIII. 446. *„imperium“* i. q. imperator: Sat. 108. 179. *„iuventa,* iuventus“ i. q. iuvenes: VIII. 237. 251. 316. 545. X. 45. *„infantia“* i. q. infantes: X. 533. Sat. 223. *„legatio“* i. q. legati: VIII. 259. 429. 586. *„mors“* i. q. mortuus: IX. 96. 229. X. 427. 437. „nefas“ i. q homo nefarius: VIII. 165. „origo“ i. q. auctor: VI. 45. Sat. 179. 229. 299. *„partus“* i q filia: VIII. 497. *„rapina“* i. q. femina rapta: VIII. 544. „regnum“ i. q. rex: VIII. 118. 288. 482. X. 515. *„reliquiae“* i. q. homines reliqui: V. 7. *„senatus“* i. q. senatores: VII. 24. „senectus“ i. q. senes: V. 166. VII. 66. VIII. 236. Sat. 223. *„sexus uterque“* i. q. homines utriusque sexus: VIII. 599. „virginitas“ i. q. virgines: V. 167. *„Romana* potentia“ i. q. Romani potentes: V. 108. „simplex aetas“ i. q. pueri et puellae: VII. 65.

In Orestis tragoedia haec fere exempla exstant: „amor“ i. q. homo amatus: vv. 66. 668. *„cognatio“* i. q. cognati: v. 968. *„honestas“* i. q. homines honesti: v. 965. „iuventus“ i. q. iuvenes: v. 605. „nefas“ i. q. homo nefarius: vv. 719. 735. „origo“ i. q. auctor: vv. 357. 892. *„pietas“* i. q. homo pius sive homines pii: vv. 54. 357. 965. „regnum“ i. q. rex: v. 313. „senecta“ i. q. senes: v. 401. „simplicitas“ i. q. simplices et innocentes homines: v. 966. *„solatium“* i. q. solatrix (sit venia verbo): v. 138. *„ultio“* i. q. ultrix: v. 138. „virginitas i. q. virgo: v. 11. *„mollior aetas“* i. q. infantes: v. 370. „potentia *patris“* i. q. pater potens: v. 555.

De adiectivis. De adiectivis adnotandum videtur, in utrisque carminibus saepe comparativum legi, ubi positivus ponendus erat, sed in dissyllabis tantum adiectivis trochaicis, ut primo obtutu videamus, comparativum metri tantum causa delectum esse. Dracontius haec exempla exhibet: *„dignior“*: VIII. 534. Sat. 265. „fortior“: VIII. 92. 155. 624. *„longior“*: VIII. 520: „saevior“: V. 131. X. 177. „senior“: Sat. 39. *„tristior“*: X. 172. *„tritior“*: IX. 152. — In Orestis tragoedia exstant haec exempla: „fortior“: v. 637. *„iustior“*: v. 925. *„mitior“*: v. 90. *„senior“*: vv. 663. 667. 670. „saevior“: vv. 625. 835; praeterea in adiectivo trisyllabo quidem, sed in tro-

chaeum exeunte: „*crudelior*": vv. 607, 830. — Semel a Dracontio superlativus adhibitus est pro comparativo in duabus rebus comparandis: „*primus*" i. q. prior: IX. 138.

Valde adamavit Dracontius adiectiva vice adverbiorum fungentia, quorum haec fere afferenda putavi: „*altus*": VIII. 354. „*anxius*": X. 303. „*asper*": IX. 123. „*attentus*": IX. 201. „*audax*": V. 193. „*cautus*": II. 92. X. 143. „*constans*": IX. 67. „*crastinus*": X. 447. „*cruentus*', V. 25. „*facundus*": X. 269. „*garrulus*": VII. 105. „*castus*": X. 73. „*infelix*": X. 58. „*iniquus*": X. 381. „*laetus*": II. 45. V. 295. „*libens*": VI. 112. „*maestus*": X. 304. 308. „*maturus*": Sat. 229. „*melior*": X. 325. „*mitis*": IX. 192. „*mollis*": VI. 26. „*nocens*": X. 381. „*perstans*": X. 189. „*pius*": Sat. 149. „*primus*": IX. 138. *secretus*": X. 393. „*securus*" VIII. 212. Sat. 127. 135. „*sollers*": VIII. 357. 580. IX. 52. 200. „*sollicitus*": V. 178. X. 143. „*supplex*": II. 48. X. 135. Sat. 117. „*temerarius*": V. 90. „*trepidus*": VIII. 511. „*turbidus*": VIII. 386. — Neque Orestis tragoediae anctorem a tali adiectivorum usu abhorruisse exempla docebunt: „*callidus*": v. 255. „*felicior*": v. 198. „*impius*": vv. 259. 441. „*iners*": 191. „*laetus*": 157. „*libens*": 609. „*maestus*": v. 157. „*miser*": v. 188. „*melior*": v. 684. „*nocturnus*": v. 395. „*obscurus*": v. 629. „*pavidus*": v. 223. „*pius*": v. 441. „*prior*": v. 174. 667. „*securus*": vv. 191. 913. „*sollers*": v. 189. „*supplex*": v. 861. „*violentus*": v. 213.

Postremum memorandum videtur, Dracontium adiectivis saepe ita usum esse, ut idem valeant, quod genitivus substantivorum, a quibus derivata sunt. Quod quamquam etiam apud alios scriptores saepius invenitur (cfr. Boetticheri lex. Tac. p. 36.), tamen nonnulla exempla Dracontii carminum commemoratione digna sunt, velut: „*umbras arboreas*": III. 6. „*caveis circensibus*": VII. 89. „*civile cadaver*": V. 127. „*civilia colla*": V. 275. „*hostilss iugulos*": V. 271. „*maritales vapores*": VI. 50. „*matronali de more*": VI. 53. „*pastorale ausum*": VIII. 2. In Orestis tragoedia haec exempla exstant; „*verbere corporeo*": v. 793. „*morte maritali*": vv. 238. 540. „*maritali sanguine*": v. 433. „*matronale*

nefas": v. 421. "*legalis origo*": v. 892. "*pastoralis securis*": v. 270. "*tumulis regalibus*": v. 456.

De pronominibus. Hoc loco mihi aliquid dicendum videtur de usu pronominum possessivorum. Dracontius enim hand raro pronomen reflexivum posuit, ubi leges grammaticae pronomen demonstrativum aut adiectivum pro pronomine requirebant: VII. 11. VIII. 281. IX. 136. X. 28. Sat. 43. 281*). Alii scriptores hoc non tam frequenter admiserunt. Aliis locis pronomen "*vos*" pro "*tu*" positum est: VIII. 374. IX. 35; "*vester*" pro "*tuus*": I. 16. III. 16. IV. 9. V. 125. VIII. 375. IX. 135. 147. X. 95. 596. Sat. 299. (cfr. Capitolin. Ver. XI. 4.). — In Orestis tragoedia pronomen reflexivum pro demonstrativo aut adiectivo usurpatum est vv. 535. 578. 591. 623. 821. 896. 903; "*vester*" pro "*tuns*" v. 77.

De adverbiis. Pro attributo Dracontius solum adverbium "*ubique*" bis posuit: II. 152: "*spectator ubique Virtutis per cuncta meae*". Sat. 306: "*suo ubique reo*". — Idem usus exstat in Orestis tragoedia v. 851: "*vicinus ubique Aspis et ignis erat*".

De verbis. Apud Dracontium saepe verbum simplex pro composito positum est, velut: "*dare*" pro eo, quod est usitatius "*reddere*": VIII. 336. "*ferre*" pro "*auferre*": VIII. 336. "*iungere*" pro "*coniungere*": I. 14. II. 95. VI. 51. 102. VII. 33. 35. X. 289. "linquere" pro "*relinquere*": VII. 126. VIII. 245. 253. 538. X. 572. "*mirari*" pro "*admirari*": II. 100. VIII. 494. "*pellere*" pro "*repellere*": V. 96. "*premere*" pro "*opprimere*": V. 31. "*propinquare*" pro "*appropinquare*": X. 113. 182. "quatere" pro "*percutere*": VIII. 569. "rapere" pro "*arripere*": V. 123. "rumpere" pro "*erumpere*"; v. 17: pro "*dirumpere*": VIII. 160. "sternere" pro "*prosternere*": IV. 34. VIII. 51. 129. "*scindere*" pro "*rescindere*": VIII. 150. "*temnere*" pro "*contemnere*": V. 236. 293. 308. VI. 109. VII. 124. VIII. 360. 405. IX. 11. 150. X. 460. Sat. 143. "*tendere*" pro "*protendere*": II. 127. X. 197; pro "*extendere*":

---

*) Adn. 2. Personale pronomen reflexivum "*sibi*" pro demonstrativo "*ei*" legitur Sat. 166.

X. 116. „truncare" pro „*obtruncare*": V. 25. „*vagari*" pro „*pervagari*": V. 73. VII. 145. X 368. — Iam videamus exempla ex Orestis tragoedia collecta: „*flere*" pro „*deflere*": v. 457. „*fundere*" pro „*effundere*": v. 794. „linquere" pro „*relinquere*": v. 685. „*quaerere*" pro „*inquirere*": v. 948. „quatere" pro „*percutere*": vv. 264. 793. „rapere" pro „*eripere*": v. 83. „rumpere" pro „*dirumpere*": v. 64. „sternere" pro „*prosternere*": vv. 190. 542. 661. „truncare" pro „*obtruncare*": v. 608. „*turbare*" pro „*conturbare*": v. 837. — Multa alia addi possunt, sed vereor ne iam videar nimius fuisse, cum nonnulla etiam aliorum poetarum usu satis defendantur.

Nonnullis locis contra verba composita pro simplicibus usurpata sunt, velut: „*accipere*": X. 365. „*adesse*": I. 7. V. 29. „*adoptare*": VI. 118. X. 149. Sat. 270. „*adorare*": V. 167. „deflere": IX. 175. „*perficere*": VII. 50. „*repetere*": VIII. 156. „retinere": IX. 140. Sat. 77. — Quorum in Orestis tragoedia haec inveniuntur: „deflere": v. 862. „retinere": v. 680.

Hoc loco praetermitti non potest, Dracontium interdum verbis transitivis vim intransitivam attribuisse, velut: „*concludere*" VII. 137: „*Sed ne maesta canens concludat carmen amoris*". „*crispare*" VIII. 352: „*leo — venabula cernens Venantis crispare manu*" id. VIII. 412. (cfr. Plin. hist. nat. II. 82, 198. Pers. III. 87.) „*frangere*" VIII. 330: „*frangat dolor*". „*minuere*" Sat. 240: „*Haec eadem minuunt Cynthia dum minuit*". cfr. Sat. 238. „*rumpere*" V. 17: „*dum classica rumpunt*" cfr. X. 223. 579. „*serenare*" X. 174: „*plaga maesta serenat*". „*siccare*" IX. 86: „*Ut madefacta cadant siccantibus ossa medullis*". „*temperare*" VIII. 330: „*Temperet invidia*". — Exemplum quod Orestis tragoedia exhibet v. 816: „*accinctus capulo produxit in hostem*" a Maehlyo et Schenkelio in dubium vocatum est, et alter „*prorupit*" alter „*procurrit*" substituit. Sed cum Peipero codicum scripturam servandam esse censeo.

Contra aliis locis verba intransitiva vice transitivorum funguntur ut puta: „*horrescere*" IV. 19: „*te in nosmet pessima coniux Horrescit*". „*natare*" IX. 127: „*Nec dabis occisos iuvenes Acheronta natare*". (cfr. Verg. G. III. 259. Mart. 14, 196.) „*vagari*" V. 73:

„*Aut pelagi rabidos fluctus pirata vagetur*". id. VII. 145. X. 368. „*sonant-catenas*", quod codices in versu II. 57. praebent, his exemplis non addam, cum mihi Dracontius non „*catenas*", sed „*catenae*" scripsisse videatur. — Tali modo etiam in Orestis tragoedia verba neutra adhibita sunt: „*pulcrescere*" v. 128: „*Et lasciva reos pulcrescunt gaudia vultus*". „*tepescere*" v. 583: „*sic sensus iners tua corda tepescit*".

Nonnulla verba impersonalia a Dracontio personaliter, quod dicunt, usurpata sunt, velut: VIII. 62: „rura pigent". VI. 70: „*Bacchaeque rotari Sileno saltante placent*". II. 23: „*Divitias ut tecta pluant*". V. 27: „*Martia tela pluuntur*"; (cfr. Plin. hist. nat. II. 56, 147. Stat. Theb. VIII. 417.) — „*Credor*" pro „*mihi creditur*", quod apud poetas tantum usitatum est, (cfr. Verg. Aen. II. 247. Ov. trist. III. 10. 35. id. met. VII. 98. ibid. XV. 74. id. her. XVI. 129. id. fast. III. 351. IV. 203) Dracontius admisit VIII. 159: „*Provida non credor*". — In Orestis tragoedia hoc exstat v. 708: „*sed statim credita non est*".

Hoc loco, ubi de usu verbi agitur, haud scio an non alienum sit, commemorare peculiarem usum quorundam participiorum. Sic Dracontius passive posuit haec participia: „*ausus*": II. 15. (cfr. Nipp. ad Tac. ann. III. 67.) „*comitatus*": VIII. 87. — Hoc participium etiam in Orestis tragoedia v. 694. sic usurpatum est.

De usu temporum. Dracontium in usu temporum grammaticae legum rationem non habuisse, unusquisque, qui carmina eius perlegerit, facile intelleget atque ut hoc efficiam, multa exempla afferre possum, sed ne longus sim, pauca sufficiant. VIII. 333 sqq. exstant praesentia „*meretur*" „*fit*" „*tenet*", ubi perfectum, quod v. 336. („*dedit*") legitur, ponendum erat; item perfectum malueris pro „*subtrahit tenet, sustinet*": X. 147. In versu VII. 17. dicendum erat „*arsit*" pro „*arserat*", atque imperfectum indicativi exspectes pro plusquamperfecto coniunctivi V. 261: „*vidimus-pauperis ora, cum quaesisset opem*". In versu V. 50. poeta tempus praesens pro imperfecto „*gaudebat*" adhibere debuisset, si singula membra apte componere voluisset. Eadem de causa III. 20. non „*loquor*" sed „*loquar*" dicendum erat. Legibus grammaticae requiritur futurum pro praesente his locis: VIII. 87: „*venit pia vota mini-*

strans". VIII. 125: „*coniurat — raptum punire*". VII. 117: „*speremus numina nasci*".

Eadem in usu temporum licentia invenitur in Orestis tragoedia, cuius rei Carolus Schenkelius in praefatione editionis (p. 27.) haec exempla attulit: v. 4: „*iugularat*" pro perfecto „iugulavit". v. 802: „*nec fuerat quisquam*" pro „*nec fuit quisquam*" v. 867: „*fuerant ubi templa Dianae*" pro „*erant etc.*" v. 689: „*Sanguine si matris cineres satiabo paternos*", ubi ponendum erat „*satiaro*".

II.

De enuntiato simplici.

De praedicato. Nonnullis locis apud Dracontium invenitur constructio, quae vocatur *κατὰ σύνεσιν* id est: praedicatum in plurali numero positum adiungitur singulari numero subiecti, cui notio collectiva inest. V. 51: „*gaudebat turba reorum Et veniam meruisse putant.*" VIII. 294: „*Priami gens praeda Pelasgum Non magis auderent in bella lacessere Graios*". VIII. 568: „*Adveniunt collecta manus iam classe remota*". — Neque Orestis tragoediae auctor a tali constructione abhorruit, ut exemplum docebit: v. 656: „*Regia familia scelus hoc punire precantur*".

Saepissime a Dracontio verbum substantivum omissum est, ac primum quidem indicativus: I. 9: „*Non lepus iam praeda saevo tunc molosso iugiter*". cfr. II. 107. 145. IV. 10. 22. V. 1. 22. 116. 140. 204. 215. VI. 83. VII. 128. VIII. 92. 93. 162. 241. 245. 340. 379. 402. 416. IX. 97. X. 81. 96. 144. 219. 247. 251. 255. 327. Sat. 204. — Coniunctivus desideratur hoc loco: VIII. 69. — Infinitivus: VIII. 390. X. 277. 354. 384. — Atque adeo verbum agendi Dracontius omisit: V. 143: „*tu victor inique* (scl. agis), *Sardorum qui sacra probas*". VIII. 637: „*sic quoque Polites*" (scl. egit).

Eadem licentia in ellipsi, quae dicitur, praedicati invenitur in Orestis tragoedia, ubi indicativus verbi substantivi omissus est:

v. 269: „*Sic Asiae domitor consumtus fine cruenta*". cfr. vv. 271. 378. 383. 467. 513. 565. 585. 654. 871. — Coniunctivus non desideratur, sed infinitivus vv. 70. 100. 132. 310. 312. 690. 691. 695. 709. — Verbum agendi omissum est v. 548: „*irati potius quod tardius istis*". (scl. agitis). v. 917: „*Dis superis grates*" (scl. ago).

De casibus.

1. De accusativo. Accusativi verbis intransitivis subiuncti exempla minus crebra, quae apud Dracontium leguntur, haec sunt:

a. post verba, quibus animi affectus exprimitur: „*horrere*" II. 100: „*Horrent Alcidem Nymphae*". cfr. V. 61. 171. VIII. 61. „*abhorrere*" VIII. 101.: „*nec mater pignus abhorret*". „*exhorrere*" X. 556: „*innuptae nuptam exhorrete sorores*". „dolere" VIII. 293: „*Excidium Troiae si pectora victa dolerent*". cfr. Sat. 304. „gemere" VIII. 584: „*Et gemit infrendens amissum nobile pignus*". „*lugere*" VIII. 606: „*nemo Parin lugeret*". „*pavere*" V. 107: „*Quorum verba pavens dives vixisset honeste*". cfr. VIII. 209. 423. „*pavescere*" VI. 94: „*gratumque pavescens*". „*obstupescere*" I. 15. „*Cuius ordines profecto semper obstupescimus*". — b. post verba composita, quibus motio exprimitur, velut: „*pervenire*" VIII. 547: „*captatum pervenit iter*". (cfr. Apul. met. II. 32: „*plateam vadere*".) Summopore est mirandum, quod Dracontius verbum „*residendi*" cum accusativo coniunxit, quasi esset verbum movendi, his locis: X. 166: „*impiger ales Nunc hanc nunc illam* (scl. columbam) *residet*". X. 273: „*Liber anhelantes residens post proelia tigres*". — Eandem accusativi constructionem invenimus in Orestis tragoedia post verba, quibus inest notio animi affectus, velut „dolere": v. 596: „*Sic decet exstincti genitoris fata dolere*". cfr. v. 800. „*flere*" v. 457: „*flens per haec tempora regem*". „gemere" v. 422: „*uxorem dedecus aulae Quis rogo non gemeret*"? „*tremere*" v. 476: „*Iussa Clytaemnestrae tremitis?*"

Accusativus limitationis, qui vocatur, more Graecorum a Dracontio adhibitus est, si verbo exprimitur actio, quae ad ipsius subiecti corpus refertur. Pars corporis actione subiecti affecta in casu accusativo posita est, velut: VIII. 394: „*sacerdos deiecta oculos*“. IX. 41: „*laniata genas, contusa lacertos*“. V. 281: „palpitat artus“. cfr. X. 214. Memorabilis est etiam ille locus X. 440: „*quibus impius horror Turpia vipereae funduntur membra cerastae*“, ubi exspectamus: „super *turpia vipereae funduntur membra cerastae*“. — Cum adiectivis hic accusativus coniunctus est VIII. 104: „*Phoenix sola genus*“. VIII. 520: „*longior artus*“. — Orestis tragoediae auctor accusativo limitationis usus est. v. 728: „palpitat artus“. — Similitudinem quandam cum Drac. X. 440. habet illud Orestis tragoediae exemplum v. 254: „*exutum tutanti tegmine regem Callida funereo perfundit corpus amictu*“, ubi „*corpus*“ accusativus quem vocant appositionis existimandus est.

Accusativum verbalem sive interni obiecti Dracontius admisit Sat. 208: „*certamina — vincat*“. (cfr. Plin. h. n. X. 63. 180: „*vicisse Olympia*“. Iustin. 41, 1: „*bella vicisse*“.) — In Orestis tragoedia hoc exemplum inveni: v. 808: „*Pyrrho praedante rapinam*“.

Duplicem accusativum, rei et personae, verbo „*exposcendi*“ adiunxit Dracontius VIII. 226: „*Et Telamona ducem conventum exposce sororem*“. Apud verbum „*poscendi*“ passive positum accusativus rei legitur VIII. 270: „*Posceris Hesionen*“, qui usus, quamquam rarissime, etiam invenitur apud Propertium et Ovidium. — Ex Orestis tragoedia duplicem accusativum adnotavi post verbum „*petendi*“ v. 534: „*Si peto Cecropidas vindictam*“, quem usum alibi non inveni. — Apud verbum „*rogandi*“ passive positum accusativus rei exstat v. 88: „*Numine mox ipso praestas, quondcunque rogaris*“. — Simili modo apud Dracontium duplex accusativus verbo „*urguendi*“ adiunctus legitur VIII. 535: „*nos hoc Iuppiter urguet*“, ubi accusativus rei exprimitur pronomine neutrius generis, id quod haud rarum est apud verbum „*cogendi*“ cfr. Plaut. Amph. 163. Ter. Ad. III. 4. 44. Cic. rep. I. 2. 3. Cluent. 58. Verg. Aen. III. 56. Liv. III. 7.

Verbum „*indulgendi*", quod plerumque intransitive ponitur, accusativum secum habet II. 7: „*mater devota coruscos Indulget vultus*". Sat. 150: „*indulget culpas*". (cfr. Liv. 40. 15. 16.) — Similia exempla exstant in Orestis tragoedia, velut accusativus apud verbum „*parcendi*" v. 600: „*umbris Ingerat inferias animam parcentis Orestis*"; apud verbum „*fruendi*" v. 232: „*Dum commune nefas aequali mente fruuntur*", quod iam Apuleius et Iustinus admiserunt.

Adiectivo verbali accusativus adiunctus est a Dracontio VIII. 546: „*gladio vestigia nostra sequaci*", quem usum alibi non inveni.

2. De dativo. Pro praepositionibus, quae sunt usitatiores, saepe dativus insolentius subiungitur verbis copulatis, quorum simplex a. vim instransitivam habet: „*advehi*": X. 194: „*iacet hostia templis Per fluctus advecta tuis*". (cfr. Varro ap. Non. p. 451, 16. Cic. in Pis. ap. Quinct. VIII. 3. 21; sed his locis davitus personae, non rei, invenitur.) „*coire*": VII. 34: „*Et Dryades passim coeant per prata Napaeis*". (cfr. Ov. her. IV. 129. Sen. ad Marc. 17. Cod. Iust. V. 17. 10. Gai. I. 84.) b. verbis copulatis, quorum simplex vim transitivam habet: „*adligare*" VIII. 107: „*Paridis mox colla lacertis Adligat*", quod alibi non inveni. „*collidere*" VIII. 575: „*collisus arenis*". (cfr. Hor. ep. I. 2. 7.) „*religare*" VII. 8: „*Laurea serta comis religans*". (cfr. Ov. met. XIV. 735. Col. VII. 3. 5.) „*suspendere*" V. 124: „*nec in arbore cristas Erexit, quicunque cruci suspendit*". (cfr. Liv. I. 26. 6: „*infelici arbori reste suspendito*" *). — Ratione verborum compositorum etiam haec verba simplicia cum dativo coniunguntur: „*copulare*" VII. 36: „*Bacchis copletur Amor*", quod verbum omnibus temporibus raro sic usurpatum est. „*sociare*" VII. 45: „*socians violasque hyacinthis*". (cfr. Liv. 39. 13. 13.) — Idem dativus exstat in Orestis tragoedia, sed post talia tantum verba composita, quorum simplex vim transitivam habet, velut „*conferre*" v. 679: „*ne*

*) Adn. 3. Hoc Livii loco sententiae Kühnastii (Liv. synt. p. 138.) assentiens „*infelici arbori*" pro dativo, non pro ablativo vel locativo, ut alii viri docti censuerunt, accipiendum esse puto.

se subducere possent Aut armis conferre manus". (cfr. Cic. div. II. 55. 114. Ov. met. V. 242.) atque post verbum simplex „*rapiendi*" v. 83: „*sic rapior cultris*". (cfr. v. 742.)

Haud raro Dracontius dativo usus est apud verba movendi ad locum significandum, in quem actio verbi refertur, pro praepositionibus „*in*" sive „*ad*" sequ accus., velut V. 37: „*campo prodeat*". V. 217: „*Cum Romanorum Gallis vexilla tulisset*". V. 278: „*Et mortes transferre foro*". VII. 87: „*stabulisque refertur*". VIII. 432: „*mox pastor arenis Exsiluit*". IX. 66: „*Puppibus Argolicis Phrygios quis diriget ignes*"? X. 40: „*Barbarus ignaro regi iam nuntius ibat*". X. 237: „*gladium dextrae revocabat inerti*". X. 515: „*capiti fera serta locat*". — Etiam Orestis tragoediae auctor talem dativum adamavit: v. 157: „*Maesta domo quasi laeta redit*". v. 242: „*referens caelo coronam*". v. 245: „*Pignora naturae concurrunt dulcia patri*". v. 363: „*fluctibus intrat*". v. 386: „*Non mersere neci*". (cfr. Hor. carm. III. 16. 13: „*domus demersa exitio*"). v. 413: „*Ac domibus remeare suis*". v. 456: „*Ibat alumna manus tumulis*". v. 506: „*cui victor eram regressus ab hoste*". v. 516: „*Venit Athenaeis mox sedibus*". v. 754: „*Mox redeunt animo Phrygiae praesagia sortis*". v. 887: „*Ut patriae rediere suae*", quo loco Haasii coniectura sine dubio vera est. v. 957: „*Sitque redux patriae*". — In nominibus urbium, quod in aliis Dracontii carminibus desideratur, dativus pro accusativo legitur v. 46: „*Imperat indomitis praedam praeire Mycenis*". v. 287: „*adduxit Athenis*". v. 889: „*mediis induxit Athenis*".

Dativus pro praepositione „*a*" sequ. abl. a Dracontio verbo passivo subiungitur ad personam agentem significandam his locis: V. 84: „*conicitur cuicunque bono*". VIII. 59: „*quis semita nulla tenetur*". VIII. 137: „*uni pia mater haberis*". VIII. 146: „*Astyanax Danais iactatur muro ab alto*". VIII. 296: „*ducum, quibus Ilios ingens Victa iacet*". Coniectura natum est X. 250: „*domi tibi pignus habetur*". VIII. 87: „*Et nuribus comitata venit pia vota ministrans*". — Cuius rei Orestis tragoedia hoc exemplum exhibet: v. 594: „*Qua meminit carpebat iter comitatus amico*".

Dativi commodi nonnulla tantum exempla memoratu digna afferam cum tot apud Dracontium inveniantur, ut omnia enume-

rare longum sit. II. 43: „*tauro flammetur*". II. 111: „*Spargit spicula Nymphis*". VI. 30: „*Non ego lascivos opto mihi crescere sensus*". VIII. 66: „*Sordent arva viro*". cfr. II. 113. VIII. 114. 138. 309. 610. IX. 91. X. 322. — Ex Orestis tragoedia haec exempla adnotavi: v. 62: „*Mox imber rigat ora pius nataeque patrique*". cfr. vv. 211. 256. 548.

Dativus pro genitivo attributivo apud Dracontium exstat Sat. 34: „*Mugitus pecudis verba fuere duci*". — In Orestis tragoedia hoc exemplum inveni: v. 23: „*Et thalamis vindex thalamos rex ante necatur*".

Dativus finalis, qui vocatur, liberius positus est V. 180: „*Divitis obsequio concurrit turba clientum*". V. 183: „*venena neci parantur*". — Mirum sane dativum finalem exhibet Orestis tragoedia v. 398: „*curventur falcibus enses*".

Verbo „*miserendi*" insolentius dativus adiunctus est X. 504: „*miserere tuae, deus optime, nepti*". — Eadem constructio legitur in Orestis tragoedia v. 744: „*miserere parenti*".*)

Verbum „*certandi*" dativum regit VI. 107: „*viris certate modeste*", (cfr. constructionem Graeci verbi „μάχεσθαι"); similis dativus primum legitur apud Catullum 62, 64: „*noli pugnare duobus*".

Pecularis Draecontio est denique dativus personae conjunctus cum accusativo rei apud verbum „*iubendi*": IV. 15: „*Dum nobis inmensa iubet*". X. 318: „*iubet arma ministris*".

3. De genitivo. Genitivus quantitatis pendens ab adiectivo neutrius generis fungente substantivi vice a Dracontio his paucis locis usurpatus est: III. 3: „*totum poli*". VIII. 361: „*veniale reatus*". VIII. 485: „*plus ornatus*". — In Orestis tragoedia haec exempla exhibentur: v. 41: „*per caerula ponti*". v. 827: „*per secreta domus*".

*) Adn. 4. Sic hoc loco mea sententia legendum est, cum optimus codex, Bernensis, scripturam „*parente*" praebeat, quae facillime e scriptura sine dubio genuina „*parenti*" oriri potuit. De hac constructione cfr. adn. Munckerii in editione Hygini (fab. 58. p. 124) ab Aug. v. Stavern parata.

Raro tantum a consuetudine loquendi ceterorum scriptorum discrepans Dracontius genitivum his adiectivis adiunxit: „*certus*“ Sat. 158: „*certus sceleris*“; (cfr. Cic. Rosc. Am. XIX. 52.). „*ebrius*“ VII. 1: „*Carminis Idalii cuperem nunc ebrius esse*“, cui adiectivo alii scriptores ablativum subiungunt. Vergilium Horatium Statium imitatus genitivum coniunxit cum „*tenax*“ Sat. 170: „*consilii tenax*“. Memorandum quoque videtur Sat. 173: „*simplicitas ieiuna cruoris*“. (cfr. Cic. orat. §. 106: „*ieiunas orationis aures*“.) — Simile est illud Orestis tragoediae exemplum v. 91: „*ieiunus et expers Sanguinis humani*“. — Pro „*in*“ sequ. accus. adiectivum cum genitivo coniunctum est v. 442: „*pia coniugis*“, et v. 895: „*sacrilegum superum*“.

Genitivus finalis, quem dicunt, pro dativo finali a Dracontio ter usurpatus est: V. 253: „*laudis esse*“; cfr. VIII. 25. — IX. 58: „*laudis habere*“. — Orestis tragoedia tale exemplum exhibet v. 971: „*quod sit narrare pudoris*“.

Commemorandus mihi etiam videtur hic genitivus subiectivus coniunctus cum participio perfecti passivi, quod substantivi vice fungitur: II. 55: „*Solis amata*“. (cfr. Ammian. XV. 4, 6. id. XXII. 9, 15.).

More Graecorum substantivum „*terra*“, a quo genitivus pendet, omissum est VIII. 321: „*Emathia fratris*“.

4. De ablativo. Pro praepositionibus „*a, de, ex*“, quae sunt usitatiores, Dracontius nonnullis verbis, quae separationem significant, solum ablativum adiunxit, ac primum quidem a. verbis simplicibus, velut II. 4: „*Fuderat Idalius gremio se forte parentis*“. VIII. 164: „*Pectore Cisseo rapiatur pignus acerbum*“. (cfr. X. 361.). VIII. 591: „*Iam fletu manante genis*“. X. 564: „*mox se tellure levabant*“. b. verbis compositis, velut VII. 71: „*cantibus absens*“. (cfr. Cic. fam. IV. 6. 2. Ov. rem. am. 774.). VII. 89: „*Et favor excussus caveis circensibus ingens*“. VIII. 13: „*Mollia blandifluo defundas verba palato*“. VIII. 576: „*flavos extorquet vertice crines*“. X. 35: „*ut rutilas subduceret arbore lanas*“. X. 99: „*Ut pinnas desiccet aquis*“. X. 145: „*sinu se subtrahit ales*“. X. 584: „*Venatu interea rediens delubra petebat*“. Coniectura natum est VIII. 478: „*volucres — Augur averrunces*

sacris". — Ex Orestis tragoedia haec exempla afferantur, a. apud verba simplicia: v. 244: „*Atque corruscales fundebat vertice flammas*". v. 476: „*Surge velut quondam tumulo surrexit Achilles*". b. apud verbum compositum „*descendendi*": v. 124: „*Ast ubi non vidit descendere puppe tyrannum*". v. 239: „*Rex rate descendens tacta tellure triumphat*".

Ablativo loci Dracontius saepe liberius usus est, ac primum quidem a. apud nomina propria, velut IV. 38: „*Olympo*". VIII. 31: „*Ida*". VIII. 321: „*Emathia*". b. apud nomina appellativa, α. omisso attributo: VII. 38: „*asello*". X. 190: „*caelo*". (cfr. Hor. carm. III. 5. 1. Sat. I. 5. 10.). V. 277. IX. 64: „*campo*". (cfr. Liv. XXII. 4.). IV. 42: „*casside*". X. 78: „*cervice*". V. 146: „*delubris*". VIII. 484: „*humeris*". X. 265: „*labris*". VIII. 566: „*litore*". (cfr. Plin. h. n. IX. 63.) X. 131: „*mundo*". VIII. 508: „*pectore*". VIII. 423: „*pelago*". X. 116: „*peplo*". X. 183: „*pharetris*". Sat. 238: „*polis*". V. 266: „*rostris*". V. 284. VIII. 395: „*solo*". (cfr. Hor. carm. III. 24. 39.). VIII. 423: „*tellure*". VIII. 641. IX. 59: „*thalamis*". X. 186: „*tholo*". IX. 38: „*ubere*". VIII. 598: „*urbe*". β. cum attributo: VII. 104: „*ramo virenti*". VII. 151: „*delphine — minaci*". VIII. 400: „*longo — aequore*". VIII. 566: „*media — puppe*". IX. 26: „*corporibus — suis*". IX. 32: „*corpore belligero*". IX. 201: „*fluctibus atris*". X. 558: „*cristato vertice*". — Eadem licentia ablativum localem usurpatum invenimus in Orestis tragoedia, sed apud nomina appellativa tantum a. omisso attributo: v. 123: „*animo*" v. 236: „*officio*". v. 348: „*humo*". (cfr. Ammian. XXIV. 3, 11.). v. 404: „*tramite*". b. cum attributo: v. 156: „*mente paventi*". v. 205: „*tramite — quo*". v. 628: „*callibus occultis*". v. 243: „*stellata fronte*". v. 948: „*legali tramite*".

Ablativus instrumenti de persona usurpatur VIII. 69: „*monitus Paris omnia norat Blandita nutrice puer*". — Neque fortasse alienum sit illum locum commemorare X. 598 squ.: „*Vulcanus Lemno, Iuno spernatur ab Argis, Gorgone terribilis Pallas damnetur Athenis*", ubi exspectamus: „*a Lemniis — ab Argivis — ab Atheniensibus*".

Ablativus instrumentalis statuendus est his quoque locis:

X. 92: *„Phoebos anhelos Oceano demergit equos"*. X. 468: *„Ante tamen fluvio corpus mergatur et undis"*. VII. 93: *„Iam qua stat pluitur tellus sudore furoris"* *). Cuius ablativi ex Orestis tragoedia haec exempla collegi: v. 355: *„quod pelagus rabidum demersit Atridas Fluctibus aequoreis"*. v. 364: *„Et mare caeruleo tumide spumantibus undis Mersus ad usque caput"* **). v. 803: *„sol merserat undis Oceano stridente rotas"*. (cfr. Draeg. hist. synt. I. p. 552.).

Ablativo causae omisso participio perfecti passivi Dracontius raro tantum usus est. V. 223: *„iam nemo quietus Divitis insidiis durabit"*. X. 42: „vento *currente carinā"*. — In Orestis tragoedia haec exempla inveniuntur: v. 176: *„ut sanguinis usu Humani generis vilem putet esse cruorem"*. v. 415: *„Ipse sibi genium fastu facit"*.

Ablativum omissa praepositione *„ex"* Dracontius usurpavit ad materiam, ex qua aliquid factum est, significandam, velut VI. 10: *„Floribus ambrosiis sponsalia serta ligentur"*. VII. 49: *„medicina cerastis Perficitur"*. VIII. 416: *„cum lacte novo iam caseus albens Formatur"*. X. 159: *„Nam iuga sunt compacta rosis"*. — Orestis tragoedia hoc exemplum praebet: v. 399: *„Ossibus et nervis et flexos cornibus arcus Ad solas aptate feras"*. (cfr. Verg. Aen. I. 655. Sen. ep. 76. 10. Plin. ep. V. 6. 36. id. Pan. 52. ibid. 56.).

Ut accusativum limitationis, sic etiam ablativum limitationis valde adamavit Dracontius, quod elucet ex his exemplis: II. 45: *„Venus vultu multata"*. V. 103: *„moribus bonus"*. VI. 67: *„ornatus fronte"*. VIII. 490: *„errans oculis"*. IX. 42: *„dispersa comis"*. X. 49: *„manibus post terga ligant"*. Sat. 235: *„luna crescit vel deficit orbe"*. VI. 58: „fronte minax". — Neque in Orestis tragoedia talia exempla desunt; v. 226: *„pectore sublatus"*. v. 546: *„pares animis"*. v. 712: „fronte minax".

Ablativum temporis pro accusativo positum, id quod in aliis

*) Adn. 5. Accusativus verbo *„pluendi"* subiunctus est II. 23: *„Divitias ut tecta pluant"*.

**) Adn. 6. Sic lego cum Rothmalero.

Dracontii carminibus non exstat, legimus Or. v. 455: „*dum — sese fruerentur amore Annorum septem spatiis et mensibus octo*".

De praepositionibus. In usu praepositionum Dracontius, ut omnes latinitatis Afrae scriptores, permagnam sibi sumpsit licentiam. — Praepositio „*ad*" scribitur in nominibus urbium et insularum pro solo accusativo his locis: X. 366: „*ad Thebas*". VIII. 460. 505. 573: „*ad Cyprum*"; — pro dativo „*ad*" legitur V. 187: „*propinquat ad tectum*". VII. 156: „*sagittas Mandat ad aequoreos comites*". Pro „*in*" praepositione sequ. accus. posita est VIII. 399: „*transire — ad — carinas*". VIII. 549: „*Nos armatorum rapient ad bella cohortes*". VIII. 639: „*ad aulam Intratur*"; pro „*in*" sequ. abl. X. 496: „*ponens ad busta coronam*". — Id, quod actione efficitur, praepositione „*ad*" significatur his locis: VIII. 417: „*premit lac pastor ad orbem*". IX. 51: „*Iam luctus converte tuos ad gaudia victor*". — Singulariter dictum est V. 71: „*ad crimina conscius*". — Idem fere est usus „*ad*" praepositionis in Orestis tragoedia. Apud nomen urbis legitur v. 586: „*Imus ad Argolicas veniam donare Mycenas Criminibus matris*"; pro dativo usurpata est v. 80: „*victima trador ad aras*" *). „*In*" praepositionem sequ. accus. exspectes his locis: v. 604: „*Ad tumulum patris fundentur membra reorum*". v. 702: „*ad Argolicos moveat qui bella*". v. 945: „*Is datur ad vitae numerum*". — Temporalem notionem habet „*ad*" v. 680: „*Adventum ad domini retinet pars vernula portas*". (cfr. Nep. 25. 10. 2.). Ellipsis, quam dicunt, statuenda est v. 489: „*si quaeritis ante rogari Ad quocunque nefas* (scl. ut veniatis)."

Praepositio „*ante*" coniuncta cum substantivo bis ita usurpata est, ut idem valeat, quod enuntiatum temporale inchoatum particula „*antequam*": X. 245: „*ante dolorem*" i. q. antequam dolore affectus est. X. 407: „*ante necem*" i. q. antequam necata sunt. Insolentius etiam posita est VIII. 130: „*ante annos*" i. q. immaturus. (cfr. Ov. am. II. 2. 46: „*ante suos annos occidit*".). — Huic exemplo simile est id quod legitur in Orestis tragoedia

*) Adn. 7. Sic lego cum Ambrosiano.

v. 170: *„mactabit utrumque Turbidus ante diem"*. (cfr. Verg. Aen. IV. 696. Ov. met. I. 148. id. art. I. 184. III. 739).

Saepius, quam *„ante"*, praepositio *„post"* cum substantivo coniuncta vice enuntiati temporalis fungitur, velut IV. 53: *„post vulnera"* i. q. postquam vulneribus affecti sunt. VI. 19: *„post arma"* i. q. postquam arma deposuit. VIII. 214: *„post caeleste tribunal"* i. q. postquam in caelesti tribunali sedit. VIII. 433: *„pcst aequora"* i. q. postquam aequora transiit. VIII. 498: *„post sacra"* i. q. postquam sacra fecit IX. 18: „post membra" i. q. postquam membra reliquerunt. IX. 64: „post Hectora" i. q. postquam Hector occisus est. X. 268: *„post templa"* i. q. postquam e templis exiit. X. 414: *„post regna barathri"* i. q. postquam in barathro regnasti. — Etiam Orestis tragoedia talia exempla exhibet, velut v. 140: *„post pelles"* i. q. postquam pelles abiecisti. v. 141: *„post tecta casae"* i. q. postquam tecta casae reliquisti. v. 599: „post membra" i. q. postquam membra reliquit. v. 748: „post Hectora".

In usu *„per"* praepositionis Dracontius saepissime a consuetudine ceterorum scriptorum recedit. Ac primum quidem *„per"* ablativi instrumentalis vice fungitur his locis: V. 210: *„Hannibalisque trucem fregit per bella furorem"*. (cfr. VIII. 630.). VIII. 556: *„rapitur per colla tyranni"*. X. 171: *„Nondum per Scythicas glacies stat barbara Colchis"*. Sat. 290: *„Per pietatis opus nomen habet placidum"*.

Finalem notionem habet haec praepositio Sat. 267: *„per aetherias aquila volitante rapinas"*. *„In"* sequ. abl. exspectamus his locis: V. 11. *„Defendens umbone latus per proelia"*. V. 39: *„cum cive per urbem Infelix quid civis agat"?* V. 141: *„per templa deum — Sacra peregrinus funestat"*. (cfr. VIII. 143. X. 70.). V. 315: *„surgunt Ingentes per colla tori"*. (cfr. VIII. 160. IX. 178). VI. 34: *„per moenia vota gerantur"*. VII. 36: *„Et Bacchis copletur Amor per castra Dionae"*. VII. 112: *„Quorum cana fides per sacra Palatia pollens Floruit"*. VII. 150: *„surget — Belua terribilis summas gestire per undas"*. VIII. 111: *„Mox iuvenem complexa tenet per colla per ora"*. VIII. 129: *„Troile iam per bella furis"*. VIII. 237: *„senectus — frenat monitis per cuncta*

iuventam". VIII. 408: „*vident — Per campos gestire pecus*". VIII. 614: „*Per freta conspiciunt notam de litore classem*". IX. 101: „*natam repetens per castra sacerdos*". X. 70: „*quam numina cuncta fatentur — per templa per aras Esse voluptatum dominam*". X. 450: „*per thalamos Iocastae frater et heres Coniungit natam*". — Frequenter Dracontius, id quod apud optimos latinitatis scriptores usitatum non est, cum praepositione „*per*" adiectivum neutrius generis pro substantivo adhibitum coniunxit, velut: „per cuncta": II. 153. VI. 65. VII. 98. VIII. 237. 491. X. 100. 165. „*per devia*": VIII. 577. „per singula": Sat. 11. „*per altum*": X. 112. „*per immensum*": VIII. 468. „*per inane*": X. 98. 118. 465. 565. — In Orestis tragoedia „*per*" pro ablativo instrumenti scribitur v. 333: „*Emollit Cytherea trucem per proelia Martem*". v. 727: „*minuunt per mille secures Et male partitos per vulnera palpitat artus*". v. 834: „*Obstrue per calcem si sunt tibi mille fenestrae*". Vim causalem habet v. 178: „*Per te casta negor, per te fero damna pudoris*". v. 728: „*Et male partitos per vulnera palpitat artus*". — Pro „*in*" sequ. abl. legitur „*per*" his locis: v. 60: „*per patria colla pependit*". (cfr. v. 229.). v. 194: „*Unaque natarum cinis est per templa Dianae*". v. 344: „*utinam iuvenem per bella feriret Amazo*". v. 465: „*Cuius adoratus constat per templa precantis Iratos audisse deos*". v. 836: „*adero tibi saevior umbra Per freta per campos per silvas flumina montes*". v. 923: „*Dum medicinalem tribuunt per corda salutem*". — Cum adiectivo neutrius generis, quod substantivi vice fungitur, coniuncta est „*per*" praepositio v. 41: „*per caerula ponti*". v. 121: „per cuncta". v. 309: „per singula". v. 827: „*per secreta domus*".

„*Inter*" usurpatur de multitudine et de copia, quod alias significatur „*in*" praepositione, his locis: II. 32: „*inter aquas*". VII. 151: „*per undas, Inter quas delphine sedens Galatea*" e. q. s. VIII. 628: „*inter Troianos*". X. 19: „*inter vincla iacet*". (cfr. Tac. h. IV. 12: „*inter vada*". id. ann. I. 64: „*inter undas*".) — Singulari loquendi brevitate usus est Dracontius VII. 123: „*Quod licet exiguum tamen inter iura poetam Temnitis*". — In Orestis tragoedia „*inter*" praepositio de multitudine dicta est v. 918: „*inter subsellia*".

„*A*“ praepositione Dracontius bis usus est pro solo ablativo Sat. 27: „*compulsus ab ira*“. Sat. 243: „*sol fuscatur ab umbris*“. Ad domicilium alicuius personae vel rei significandum ter posuit „*a*“: II. 104: „*pastor ab Ida*“. II. 136: „*Narcissus ab undis*“. IX. 209: „*mater ab undis*“. Qui usus etsi in Orestis tragoedia non exstat, tamen hac re non commovemur, ut hoc carmen a Dracontio abiudicemus, cum idem desit in „*raptu Helenae*“ et in „*Medea*“. Pro „*de*“ praepositione „*a*“ posita est VIII. 146: „*muro iactatur ab alto*“. — In Orestis tragoedia „*a*“ legitur, ubi „*ex*“ exspectamus his locis: v. 572: „*Donec ab undecimis me aetas eximeret annis*“. v. 581: „*suspiria traxit ab imo Pectore*“.

„*De*“ praepositionem Dracontius saepe insolentius post verba usurpavit, ubi melius „*a*“ sive „*ex*“ praepositiones ponendae erant, velut II. 49: „*quod supplex mater amorum Ignis opem de prole rogat*“. (cfr. VIII. 108.). VIII. 284: „*consortem sanguinis unam Non valuit, dicent, rector de rege mereri*“. IV. 49: „*surgit de vulnere serpens*“. VII. 149: „*surget de fluctibus imis*“. VI. 73: „*apparet de parte*“. VIII. 7: „*de matre venit*“. cfr. X. 29. 480. 528. (Capitol. Pert. 4: „*de castris cum venisset*“.). VIII. 7: „*de matre creatur*“. (cfr. VIII. 118.) VIII. 464: „*de gente Tonantis — genitam*“. VIII. 190: „*Pellere pastorem patriis de sedibus unquam Fata vetant*“. VIII. 204: „*Scindite pellitas niveo de pectore vestes*“. VIII. 459: „*cretus de gente Melampi*“. IX. 109: „*raptas de flumine praedas*“. (cfr. X. 561.). — Deinde „*de*“ posita est ad rem, quae immutatur, significandam, velut II. 42: „*de fratre maritus*“. VIII. 592: „*quid de pastore procella Fecerit*“. X. 22: „*fecit de matre novercam*“. X. 472: „*Concusso de crine iubar diffundit in orbem*“. Sat. 38: „*de bove factus homo est*“. — Magna licentia de tempore dicta est ita, ut idem fere valeat, ac „*post*“ praepositio, his locis: V. 218: „*meruit de clade triumphum*“. VIII. 334: „*Fit felix de sorte mala*“. VIII. 335: „*Imperium de clade tenet*“. IX. 227: „*Praestetur de morte salus*“. — Ablativo instrumentali, qui usus apud recentiores tantum scriptores exstat, „*de*“ adiungitur his locis: VIII. 167: „*Sacrilegi de morte Iovem placate tonantem*“. VIII. 173: „*membrisque salutem Membrorum de parte dabit*“. — Iam videamus usum huius praepositionis in Orestis tragoedia.

Verbis adiungitur „*de*", ubi meliores scriptores „*a*" sive „*ex*" ponunt, his locis: v. 234: „*animos de crimine sumunt*". v. 374: „*De qua solus inops evasi*". v. 753: „*Ast ubi nil potuit mulier de prole mereri*". — De re immutanda scribitur v. 11: „*dat de clade triumphum*"; — de tempore v. 281: „*poenasque petunt de sorte secunda*". — „*A*" sive „*per*" expectamus v. 431: „*viduata viro de pellice Glauce*". (cfr. P. Langen, de usu praepositionis „*de*" Tertullianeo. Monast. 1869. p. 9.). — Monendum restat, in Orestis tragoedia semel „*de*" legi pro genitivo, ubi notio substantivi accuratius definitur alio substantivo v. 543: „*Crimina purgabit matris de tempore prisco*"; et semel apud adiectivum v. 441: „*impia de se*". (cfr. Langen. p. 9.).

Frequentissime ac maxima quidem licentia praepositionem „*in*" usurpavit, quam ablativo addidit, ubi leges grammaticae solum ablativum postulant, his locis: V. 254: „*cum plebs arderet in ira*". VIII. 291: „*iusta succensus in ira*". V. 162: „*victor in armis*". VIII. 346: „*victus in armis*". VII. 26: „*festivo in tempore*". — Cum adiectivis et verbis, quibus animi affectus exprimuntur, scriptores posterioris aetatis raro „*in*" sequ. abl. coniungunt. Dracontius autem haec exempla exhibet: IX. 32: „*crudelis in hoste*". IX. 104: „*saevus in hoste*". IX. 143: „*furis in hoste*". — Ablativus loci praeter consuetudinem scribitur VIII. 14: „*Quisquis in Aonio descendit fonte poeta*". (cfr. Val. Max. III. 3. extr.: „*in bracchio delapsus*". Hyg. fab. 92: „*deducere in monte*". id. fab. 139: „*in insula deferre*"; alia exempla vide in Langeni commentatione de usu praepos. „*in sub super supter*" Tertullianeo. Monast. 1869. [p. 14.]). — „*In*" cum accusativo significat: 1. eventum, velut II. 82: „*longos ut crescat in artus*". VI. 21: „*in praedam venere dei*". VI. 71: „*populosque movere In fescenninos fremitus*". VIII. 285: „*Telamon mentes armabat in iras*". VIII. 401: „*Solvitur in gemitus*". X. 319: „*ducem rapiebat in enses*". X. 472: „*iubar diffundit in orbem*". 2. consilium, velut, V. 118: „*socios in bella tueris*". V. 316: „*armant in bella iuvencos*". VIII. 295: „*in bella lacessere*". (cfr. VIII. 374.) VIII. 322: „*excercet in arma*". — Singularitur denique scriptum est Sat. 203: „*in arma pares*", ubi ablativus limitationis ponendus erat. — Totius huius usus

etiam Orestis tragoedia exempla praebet. Simplex ablativus exspectatur his locis: v. 241: „*Grandis in aspectu*". v. 849: „*tota discurrit in aula*"*). v. 457: „*noctibus in mediis*". — „*In*" sequ. abl. post adiectivum animi affectus semel legitur: v. 711: „*Qualis in hoste fuit trux irrevocabilis Aiax*". — „*In*" sequ. accus. significat: 1. eventum his locis: v. 101: „*vertat proprios in gaudia planctus*". v. 102: „*dea crudescit in iras*". v. 220: „*in ferrum rapitur*". v. 461: „*Evomit in gemitus voces*". 2. consilium his locis: v. 7: „*Matris in exitium memorem*". v. 537: „*gladios in bella domestica ferte*". v. 732: „*adest immanior hoste Matris in exitium.* — Ablativi limitationis vice fungitur haec praepositio cum accusativo coniuncta v. 668: „*Audiat haec servilis amor secretus in aurem*".

„*Sub*" praepositio apud Dracontium semper cum ablativo, uno tantum loco excepto (X. 410.), coniuncta est. Licentius ac saepe quidem scribitur pro „*cum*", velut V. 3: „*Et facinus sub laude gerat*". V. 82: „*Quem perimit sub fraude reus*". VIII. 223: „*regnum sub pace guberno*". cfr. VI. 54. VII. 155. VIII. 225. 536. — Ad ablativum vel instrumenti vel causae vel modi significandum adhibita est haec praepositio V. 21: „*Si bellum sub pace cadat*". V. 105: „*servare modestos Debuerat sub pace sua*". VI. 86: „*Privato sub more gerens sua iura*". cfr. VI. 54. VII. 97. 101. IX. 87. Sat. 131. — Pro „*in*" ponitur V. 74: „*Nec timeat validas sub tempestate procellas*". VII. 126: „*Et clausum liquisse diu sub clade salutis*". Sat. 228: „*Nec sub flore genae marcidus est iuvenis*". — Singulariter dictum est V. 93: „*Non veniam peteret sub hoste reorum*", pro „*ut hostis*". — Idem est usus praepositionis „*sub*" in Orestis tragoedia; pro „*cum*" legitur v. 338: „*Exstinctum sub fraude ducem*". v. 538: „*cluat sub crimine multo*". v. 799: „*regis sub honore salutant*". — Pro solo ablativo scribitur v. 162: „*sub fraude latenti Incipit effari*". v. 392: „*Obit sub morte securis*". v. 937: „*Purgatum sub iure deum, sub sorte benigna*". „*In*" exspectamus v. 493: „*Moenia — claro privata die*

*) Adn. 8. Hoc loco Peipero astipulari non possum, qui codicem Ambrosianum secutus „*totam discurrit in aulam*" legi vult.

sub luce diurna". v. 528: „*Vestitos sub flore genae**) *lanugine crispa*". — Eadem notione, qua apud Dracontium V. 93, „*sub*" usurpatur v. 419: „*Sceptra triumphorum data sub pastore tyranno*".

De attributo. Substantiva attributa adiectivorum loco a Dracontio posita sunt his locis: I. 10: „artifex natura". III. 1: „*terra creatrix*". V. 66: „carnifices flammas". VIII. 234: „*genitor rex*". VIII. 548: „*hospite turma*". VIII. 487: „*turba comes*". VIII. 339: „Graecia victrix". VIII. 557: „*terga iuvenci — dei*". VIII. 581: „*praedonis — sessoris*". IX. 36: „*quaesitor — avus*". X. 33: „*custode dracone*". X. 44: „alumnus nuntius". X. 262: „*puer — victor*". — Ex Orestis tragoedia haec exempla adnotavi: v. 21: „victricia colla" (cfr. vv. 145. 482.) v. 44: „*dux auster*". v. 148: „carnificis nati". (cfr. v. 721.) v. 367: „*hostes — Troes*". v. 456: „alumna manus". vv. 613: „*turba ministra*". (cfr. v. 695.) v. 329: „artifices — artus".

III.

De enuntiatis coordinatis.

De particulis copulativis. Tertium membrum, quo maiorem vim ei addat Dracontius, saepe particula „*et*" cum duobus antecedentibus coniungit: II. 25: „*Alcmenam galeatus amet, mucrone coruscet Et clipeo rutilante tonet*". II. 74: „*Arcu cinctus erat, dantur post terga pharetrae Accipit et flammas*". V. 300: „*Impubes iam fortis eras, invictus adultus Et juvenis victor*". cfr. V. 311. VIII. 163. 644. X. 154. 397. Hic usus apud Ciceronem non saepe invenitur, apud Livium autem et Tacitum haud rarus est.

*) Adn. 9. Hoc loco „*genae*" non „*genas*" legendum esse, efficitur iam illo loco supra allato Sat. 228. Praeterea praebet codex Ambrosianus scripturam „*gena*", quae sine dubio ex genuina „*genae*" exorta est.

Saepe in enumerationibus ultimum membrum antecedentibus particula „*et*“ adiungitur, velut II. 114: „*Pallescunt omnes, subitus rubor inficit ora, Tendunt membra simul, cunctis respirat hiatus Oris et ad crines digiti mittuntur amantum*“. cfr. II. 237. V. 237. 319. VIII 407. 646. 654. IX. 7. 85. 108. 171. X. 132. 460. 560.

Interdum „*et*“ scribitur ante negativa adverbia et pronomina: „*et nunquam*“: IV. 16. 34. „*et nullus*“: IX. 81. 139. „*et nil*“: VIII. 390. „*et non*“: X. 132. — Vice particulae „*etiam*“ fungitur X. 326: „*et casta Diana Pastorem confessa virum*“. — Particulam „*sed*“ expectes V. 88: „*Non aurum, non gemma micans et turpis egestas Obsedit ieiuna fores*“. (cfr. IX. 59.) „*Neve*“ ponendum erat X. 215: „*ne te fortuna superbum Reddat et incipias iterum ceu nauta venire*“. „*Vix — et*“ positum est pro „*vix — cum*“: VIII. 71. 217. „*vix — que*“: II. 75. — Iam videamus usum huius particulae in Orestis tragoedia. Ad tertium membrum duobus antecedentibus, quae copulata non sunt, adiungendum scribitur „*et*“ his locis: v. 391: „*Conisus viduare nurus, orbare parentes Et natos spoliare cibis*“. v. 452: „*Pronuba flamma fuit, thalami rogus et pyra lectus*“. (cfr. vv. 649. 813. 943.) — Aliis locis particulam „*et*“ adhibitam invenimus, ubi iam compluria membra sine coniunctione antecedunt, velut v. 20: „*Quem dolor accendit, pudor excitat, erigit ira, Mens levat, adtollunt animi bonus impetus urguet, Dat furor arma pius, pietas dat noxia ferrum Et medicinales quatiunt sanare furores*“. (cfr. vv. 523. 776. 819.) — Compluribus locis „*et*“ pro „*etiam*“ legitur, velut v. 146: „*Vos licet et maneat similis censura malorum*“. v. 247: „*Pergit et ad thalamos*“. (cfr. vv. 489. 638. 955.) — '„*Ac nullus*“ pro „*neque ullus*“ scriptum videmus v. 858: „*Ingemit ac nullus cibus est sed imago ciborum*“.

De particulis adversativis commemorandum est, Dracontium hoc alterove loco particulam „*sed*“ pro „*et*“ posuisse: X. 341: „*Quattuor interea Phoebus transegerat annos, Sed natos Medea duos fecunda marito Ediderat.* X. 432: „*nec Luna videtur Sic tauros urguere suos sed cursibus astra Ignitis responsa dabant.* Cuius rei in Orestis tragoedia hoc exemplum exstat: v. 413: „*Dixerat et cunctos discedere iussit ab aula Ac domibus remeare suis, sed vilis adulter — Ipse sibi genium — facit.*

Hoc loco, ubi de particulis adversativis agitur, commemoratione dignum videtur esse, Dracontium Vergilium potissimum secutum in ineunte versu vetustiorem illam formam „*ast*“ coniunctam cum „*ego*“ sive „*ubi*“ solitae illi „*at*“ praetulisse, velut „*ast ego*“: VII. 69. Sat. 41; „*ast ubi*“: VIII. 357. 400. 582. (cfr. Verg. Aen. I. 46. ibid. III. 410.). Eadem forma atque eodem quidem versus loco coniuncta cum „*ubi*“ legitur in Orestis tragoedia vv. 124. 310. 566. 753. 838.

De particulis disiunctivis id tantum adnotandum est, particulam „*vel*“ saepissime pro „*et*“ positam esse. V. 155: „*cum Troia periret Filius Aeacidis vel vindex Pyrrhus Achillis Ante oculos Priami percussit nocte Politen*“. (cfr. VI. 6. 88. VIII. 77. 492. 51[illegible]. IX. 38. 61. 153. X. 20. 197. 352. 362. 553. 576. Sat. 230. 257.) — In Orestis tragoedia „*vel*“ notione particulae „*et*“ adhibetur his locis a Schenkelio in prolegomenis editionis (p. 30.) iam laudatis: vv. 38. 271. 362. 505. 530. 565. 649.

De particulis causalibus. „*Nam*“ vim causalem amisit et pro „*sed*“ scribitur V. 143: „*Sacra peregrinus funestat et advena tantum, Inlaesus nam civis erat*“. Vice particulae „*et*“ fungitur VIII. 37: „*tunc virgo decora Victa dolet, nam tristis abit*“. cfr. VIII. 432. 500. — In Orestis tragoedia „*nam*“ notionem adversativam habet his locis a Schenkelio quoque (p. 30.) iam indicatis: vv. 436. 511. 941. — pro „*autem*“ sive „*et*“ scribitur v. 381. — Particula „*ergo*“ Dracontius VIII. 11. usus est, ut se ad propositum, unde deflexerat, reverti indicaret, id quod raro etiam apud Ciceronem reperitur (cfr. de off. II. 3. 11. id. de or. I. 241.) — Eadem vice fungitur „*ergo*“ in Orestis tragoedia v. 626.

De asyndeto. Nihil apud Dracontium usitatius est, quam asyndeton, quod adhibuit et brevitatis causa et ut verbis vigorem quendam daret. Cuius rei in unaquaque fere pagina compluria exempla inveniuntur, quorum unum alterumve tantum, ne longus sim, afferam: II. 119: „*Dione Paridem, Lycastum zelat Amazon, Pulcher amatur Adon, Furias amat ipse Cupido*“. VIII. 125: „*coniurat in arma Graecia tota dolens raptum punire Lacaenae, Litora nostra petent Danai cum mille carinis, Dorica castra*

fremunt, iam Pergama vexat Achilles, Iam pugnant Danai, iam cernimus Hectora tractum, Troile iam per bella furis, iam sterneris audax". (cfr. VIII. 175. 381. X. 162. 223.). — Pro enuntiato causali asyndeton admissum est VIII. 236: „*Iliacos proceres tres tecum pergere saltem Imperio concede meo, veneranda senectus Praecipitem frenat monitis per cuncta iuventam*". — Etiam multa substantiva, adiectiva, verba Dracontius uno loco cumulavit sine particulis copulativis, velut I. 2: „*voce, nervo, pectine*". V. 41: „*Moenia, rostra, forum, capitolia, templa, penates Iulustrans et fana simul delubra, theatra*". (cfr. V. 34. X. 105. 111. 129. 405. 411. 570.). — VII. 72: „*cantibus absens, Sollicitus, pavidus, temerarius, anxius, audax*". X. 52: „*Lasciva Venus, iucunda, modesta, Blanda, potens, mitis, fecunda venustas amoris*". (cfr. V, 173. VII. 112.). — X. 142: „*Diligat, optet, amet, cupiat, suspiret, anhelet*". Etiam auctor Orestis tragoediae amantissimus erat asyndetorum, ac breves sententias quidem coacervat sine coniunctionibus his locis: v. 17: „*Quem dolor accendit, pudor excitat, erigit ira, Mens levat, adtollunt animi, bonus impetus urguet*". (cfr. vv. 111. 234. 965.). — Multa substantiva omissis particulis copulativis congesta sunt v. 214: „*Finde secure caput, cervicem, colla, cerebrum*". v. 558: „*Pectora, cor, sensus, animum praecordia mentem Conturbat pietas, dolor, angor, maeror, origo, Affectus, natura, pudor, reverentia, fama*". (cfr. vv. 775. 836.) — Compluria adiectiva sine coniunctionibus reperiuntur v. 611: „*consilium sollers, immane, salubre*".

IV.

De enuntiatis subordinatis.

De enuntiatis substantivis. Accusativi cum infinitivo coniuncti loco apud Dracontium frequenter „*quia*" sequente indicativo scribitur, velut VII. 10: „*Cantarem, quia Cypris adest*".

VII. 16: „*Vulgarem, quia tela gerit*". IX. 111: „*Non docuit, quia maestus odor, quia putre cadaver Aera — gravabit*". X. 346: „*Agnovi, quia furta paras, quia mente fugaci Infaustum quodcunque cupis*". X. 350: „*Et tu Medeam credis quia fallis Iason?*" IV. 10: „*Paenitet — Alcidem quia nullus honos et mille pericla*" (scl. ipsi sunt). Eadem constructio in Orestis tragoedia bis exstat (cfr. Schenkl. p. 29.) his locis: v. 673: „*Indicat occulte paucis, quia vivit Orestes*". v. 760: „*Mixtus uterque cruor testabitur omnibus umbris, Consortes scelerum quia sors manet una malorum*". Hic usus alias non reperitur nisi apud scriptores ecclesiasticos.

Aliis locis pro accusativo cum infinitivo „*quod*" cum verbo finito coniunctum scriptum videmus; atque indicativus quidem exstat Sat. 18: „*Hoc tua verba probant Moseo dicta prophetae, Quod duraturus cor Pharaonis eras*". — Coniunctivus legitur VIII. 594: „*hoc tantum nosse fatetur, Quod pelagi rabies subverso gurgite ponti Sparserit Iliacas in tempestate carinas*". X. 353: „*Aesonides — indicat — tempore tanto Quod lateat socios qui iam sic regnat amicus*". Substantivum „*fama*" subsequitur „*quod*" cum indicativo coniunctum VIII. 117: „*Fama volat per templa deum quod pastor ab Ida Se velut ostendit regni de stirpe creatum*". — Neque Orestis tragoediae auctorem a tali constructione abhorruisse, exempla, quae iam afferam, docebunt. Indicativi haec exstant exempla: v. 355: „*Consilium mendax sollerti pectore sumsit Fingere, quod pelagus rabidum demersit Atridas*". Codicibus parum certo traditus est versus 870: „*Vidit ut, armatur quod ferro more sacerdos*". Coniunctivus reperitur v. 129: „*Credidit aequoreas quod rex sit mersus in undas*". v. 275: „*Credere quis posset — Eversorem Asiae foderet quod cultor agelli*". v. 940: „*Mos erat arbitrii, quod dispar calculus iret*".

Particulam „*ut*" Dracontius semel insolentius cum „*decet*" coniungit: V. 286: „*Sic decet ut fortis lassos, ut dives egentes Cives civis ames*" (cfr. Spart. Did. Iul. 5.).

Verba coniuncta cum coniunctivo omissa particula „*ut*" inveniuntur apud Dracontium praeter illa, quae apud omnes scriptores sic usurpata sunt, velut: „*iubere, monere, orare etc.*" etiam haec, quae mihi mentione digna visa sunt: „*exoptare*": VIII. 186:

„Et genus ingratum poenas persolvat avari Exoptat". — Simplex *„optare"* sic usurpatur Verg. Aen. IV. 24. Ov. trist. II. 57. *„parare"*: X. 422: *„Colla paro feriat"*. *„petere"*: X. 76: *„Aesonidem tantum peto filia regis Nunc amet et laudet, mox hunc suspiret, anhelet"*. (cfr. Cic. fam. XIII. 34. et 39. Sall. Iug. 102. 2.). *„placet"*: II. 117: *„placet almus Hylas rapiatur in undas"*. (cfr. Apul. met IV. 9: *„placuit — ferremus"*.) *„precari"*: VI. 31: *„Sed precor aspergant nostrum tua carmina pectus"*. (Ov. fast. IV. 247. Hor. carm. I. 2. 30. ib. I. 3. 7. epod. III. 30.) *„opus est"*: V. 199: *„Non opus est laedatur"*, quod alibi sic usurpatum est: Plaut. Merc. 1004. Plin. ep. IX. 33. 11: *„non est opus affingas aliquid aut obstruas"*. — In Orestis tragoedia pro *„ut"* sequ. coniunct. solus coniunctivus bis exstat: v. 15: *„Da valeam memorare nefas laudabile nati"*. v. 77: *„quasi iusseris ipse**) *venirem"*.

Pro *„vetare"* sequente infinitivo legitur *„iubere"* coniunctum cum particula *„ne"*: V. 108: *„Sic sapiens olim Romana potentia iussit, Ne pereat Carthago"*. Sat. 155: *„Nonne dei praecepta iubent, ne sol cadat intrans"*, qui usus alibi tantum invenitur Caes. b. G. VIII. 52. Vopisc. Saturn. 3. Lampr. Al. Sev. 22. Spart. Pesc. 10. August. civ. D. III. 21. Macrob. sat. I. 12. 28. — Qua cum constructione similitudinem quandam habet illud exemplum, quod Orestis tragoedia exhibet: v. 859: *„Quos nec ut adtingat furia cohibente vetatur"*, sed dolendum est, hunc locum codicibus parum certo traditum esse.

Infinitivi insolentius a verbis pendentis ex Dracontio haec exempla adnotavi: V. 211: *„Ac populatorem Romanae gentis adegit Sorbere"* etc.; idem admiserunt Tacitus, Vergilius, Ovidius, Silius, Statius. IV. 17: *„ccncurrere monstris Compellor"*. VIII. 57: *„Compellunt audere virum"*. Hic usus primum reperitur apud Ovidium: fast. IV. 860. (cfr. Luc. III. 144. Apul. met. III. 22.) — IX. 25: *„Ut doleant animae iam libertate recepta Corporibus vixisse suis et claustra tulisse Carceris angusti"*. (cfr. Hor. carm. IV. 4. 62.) *„exoptare"* cum infinitivo coniunctum, quod Dracontius VIII. 117. VIII. 187. exhibet, per omnes latinitatis aetates,

*) Adn. 10. Hoc loco *„ipse"* non *„ipsa"* legendum esse, vidit L. Muellerus.

quamvis raro, usurpatum est. — X. 595: „*Delos — paveat partus meruisse deorum*", quod alias bis tantum scriptum invenimus: Ov. met. I. 386. et Tac. G. 7. — II. 16: „*quid petis uri?*", qui usus raro exstat apud Horatium (cfr. ep. I. 11. 29.). Lucretium (cfr. III. 86.), Vergilium (cfr. Aen. VII. 96.). VIII. 154: „*Andromachen quaerit viduare marito*", quod etiam poetae Vergilius, Ovidius, Horatius admiserunt. X. 12: „*Et superos impune premit prece nixa virago Invitos parere sibi*". X. 1: „*Fert animus vulgare nefas*". (cfr. Ov. met. I. 1. id. a. a. III. 467. Lucan. I. 67. Suet. Otho. 6.). — Etiam in Orestis tragoedia multa similia exempla exstant, velut v. 664: „*spes haec accendit amicos Accelerare gradus*". v. 154: „*facinusque parare Disponit*". (cfr. Pallad. April II. 1.). v. 612: „*tacita quos voce monebo Adventus sperare tuos*". v. 656: „*Regia familia scelus hoc punire precantur*", qui usus alibi apud Ovidium semel tantum exstat: her. V. 158: „*et tua — esse precor*". v. 488: „*si quaeritis ante rogari Ad quodcunque nefas*". v. 761: „*Quod super ossa rogas moechi moribunda iacere*", qui usus alibi apud Catullum semel tantum reperitur: carm. 35, 10: „*roget morari*". v. 323: „*veteresque trahemus In nostram transire fidem*", quod, ut iam Schenkelius dicit (p. 29.), nullo exemplo confirmatur. Ac mirus quoque ille locus est v. 951: „*Quis temerator erit caelestia iura movere?*", nisi forte corruptela latet.

Infinitivus consilii, qui dicitur, vice supini in „*um*" desinentis fungens legitur post verba, quibus motio exprimitur, his locis: VIII. 436: „*veniunt ad sacra Cytherae Reddere vota dei*". VIII. 573: „*venientem sacra dicare*". VII. 150: „*surget de fluctibus imis Belua terribilis summas gestire per undas*". VIII. 51: „*Capitolia celsa petebat Reddere vota Iovi*". — Hic infinitivus post „*venire*" ab omnibus fere scriptoribus Cicerone excepto usurpatur, post „*petere*" autem et „*surgere*" alio loco non invenitur, sed cfr. Lactant. IV. 13, 19: „*qui exsurget principari in nationes*". — Orestis tragoedia infinitivi consilii haec exempla exhibet: v. 99: „*Nil actum Troiae est, si non comitante Mycenas Virgine pergo redux plangenti reddere matri, Quam putat exstinctam*", quale exemplum alibi non inveni. v. 586: „*Imus ad Argolicas veniam donare Mycenas Criminibus*

matris". (cfr. Prop. I. 6. 33. Gell. 16. 3. 2.). v. 679: *„ne se subducere possent Aut armis conferre manum, defendere vitam"*.*)

Accusativum cum infinitivo coniunctum Dracontius his locis insolentius admisit: II. 36: *„optas homines his ignibns ustos Inlicitos violare toros"*. VIII. 163: *„Priamum faciet non esse sepultum"*. Sat. 13: *„Qui facis iratus homines contraria velle"*. (cfr. Sat. 217.). — IX. 127: *Nec dabis occisos iuvenes Acheronta natare"*. Sed post haec, quae attuli, verba accusativus cum infinitivo, quamvis rarissime, per omnes latinitatis aetates usurpatus est. Alio exemplo confirmari non potest: IX. 78: *„Hectoreum si forte canes laniare cadaver Ipse paras"*. — Talia exempla, quae afferantur, digna etiam in Orestis tragoedia exstant, velut v. 343: *„Lachesis — Censuerat regem tam turpi morte perire"*. (cfr. v. 590). Hic usus apud omnes fere scriptores inde a Ciceronis aetate, sed raro, invenitur. (cfr. Hor. ep. I. 2. 9.). v. 46: *„Imperat indomitis praedam praeire Mycenis"*, ubi infinitivus activi legitur, cuius rei Draegerus (synt. hist. II. p. 410.) septem tantum exempla affert; infinitivus passivi legitur v. 382. — v. 598: *„Vitricus optabit tali se morte perire"*. — Orestis tragoediae peculiaria sunt haec exempla: v. 481: *„tu dux impune relinques Tot scelerum auctores victricia regna tenere?"* v. 629: *„Ibant obscuri quaerentes ausa latere"*.

Pronomen *„se"* vice subiecti fungens in accusativo cum infinitivo coniuncto a Dracontio omissum est IX. 143: *„non sentiet Hector — lacerum tenuisse cadaver"*. Ex Orestis tragoedia hoc exemplum adnotavi: v. 166: *„minatus Moribus Argolicis leges inducere castas"*. Eodem modo *„eum"* desideratur V. 168. V. 191.

In interrogationibus indirectis, quae vocantur, Dracontius interdum indicativum admisit, velut: VIII. 30: *„vulgate precor, quae causa nocentem Fecit Alexandrum"*. VIII. 222: *„Dic ubi vis armare rates, ubi carbasa tendis"*. VIII. 244: *„cognoscunt proceres quo tela parantur"*. VIII. 261: *„regis pignus ad aulam, Rex Telamon, venisse tuam quae causa coegit Insinuare decet"*. IX. 184: *„Invenient ungues, quanto descendit hiatu Hasta potens, quantumque*

---

*) Adn. 11. *„defendere"* propterea mihi infinitivus consilii esse videtur, quod infinitivi *„subducere"* et *„conferre"* sibi opponuntur.

dedit Vulcanius ensis". X. 46: „*Ut nossent, quid puppis erat*". X. 357: „*monstrare Pelasgis Quid coniux quid fata valent*". — Indicativum et coniunctivum promiscue posuit his locis: V. 86: „*fortisque in paupere dives Quid timet aut optet vos saltem advertite cives*". X. 536: „*Ignari quae mater erat quid saeva pararet*". (cfr. Prop. III. 8. 29. IV. 4. 25.). Orestis tragoediae exempla haec sunt: v. 71: „*Dic igitur qua sorte manes*". v. 350: „*Dic mihi, Musa, precor, qua spe materna noverca Quaerere neglexit*". v. 875: „*Hostia dic, quis eras, aut cur Agamemnona clamas*". (cfr. v. 557: „*Dic mihi frater, ait, dic iam modo, quid sit agendum*", ubi coniunctivus legitur.).

De enuntiatis temporalibus. Hoc loco commemorandum est, Dracontium particulae „*dum*", ubi tempus, per quod quid duraverit, significatur, semel coniunctivum adiunxisse: V. 12: „*Iam non pro patria vir fortis bella gerebat, Defendens umbone latus per proelia cristas Dum quateret galeatus apex*". Hic usus exstat etiam apud Verg. Aen. X. 799. id. G. IV. 457. Tib. II. 3. 23. — Ne pedestris sermonis quidem scriptores, Livius et Valerius Maximus, omnino ab eo abhorruerunt, (cfr. Liv. I. 40. 7. Val. Max. III. 3. 2.) — Ex Orestis tragoedia huc pertinent v. 49: „*dum ferret munus ad aram, Vidit Iphigeniam turibula sacra ferentem*". v. 453: „*Dum regnaret iners Parcarum crimine pastor Et simul inlicito sese fruerentur amore etc.*"

De enuntiatis causalibus pauca tantum memoranda sunt. Nonnullis enim locis Dracontius coniunctioni „*quod*" licentius coniunctivum adiunxit, velut IX. 136: „*Nominis invidiam vestri per flumina manes Exagitant sua iura neges quod morte peremptis*". X. 368: „*laudatur Iason, Quod freta, quod terras sic felix praedo vagetur*". — Orestis tragoedia „*quod*" cum coniunctivo coniunctum, ubi indicativus exspectatur, his locis exhibet: v. 380: „*Muneribus cumulatur opum, quod gaudia ferret Mentibus incestis*". v. 777: „*Expectate vices nato redhibente parenti Quod genitus fuerit*".

De enuntiatis condicionalibus. In enuntiatis

condicionalibus, quae vocantur „*irrealia*", apud Dracontium nonnunquam in apodosi indicativus reperitur, quem aequales raro tantum admiserunt. Exempla haec sunto Sat. 183: „*Dux princeps Romanus erat de principe Titus Si non praestaret dicere saepe solens*". Sat. 294: „*Si iustis solem dominus pluviasque dedisset Nec daret iniustis, quae fuerat pietas?*" — Indicativum et coniunctivum promiscue posuit VIII. 4: „*Quod mihi si felix hodie fortuna dedisset, Non inhonorus eram sed laude redemptus abirem*". In protasi indicativus et coniunctivus in apodosi, id quod alibi rarissimum est, legitur II. 59: „*Sed si de nobis certe cantare placebat, Judicium Paridis vel nostros, nate, triumphos Cantarent fluidae carpentes pensa puellae*". — Etiam in Orestis tragoedia exstat indicativus in enuntiato condicionali irreali, ubi leges grammaticae coniunctivum postulant v. 955: „*fuit et perfecta potestas, Si vellent punire, deis*". — De insolito usu temporum in enuntiatis condicionalibus irrealibus cfr. p. 10.

De enuntiatis concessivis. Particulae „*licet*" Dracontius nonnunquam indicativum addidit, id quod primus Apuleius admisit (cfr. met. II. 6.), postea autem haud rarum est. I. 20: „*Nos licet nil valemus*". II. 97: „*Et licet invalidus haec pondera ferre laborat*". II. 124: „*urnam licet ipse tenebat*". IX. 211: „*Licet haec mortalia fata In se nulla timet*". Quod cum in Orestis tragoedia omnino non inveniatur, forsitan putes ea de causa Orestis tragoediam a Dracontio abiucandam esse. Sed cave, ne erres. Nam apparet, omnia illa carmina, in quibus „*licet*" particula cum coniunctivo coniuncta est, a Dracontio adulescentulo conscripta esse. In „*raptu Helenae*" autem et „*Medea*", quae carmina, cum iam adolevisset, composuit, hoc idem deest.

V.

De participio.

De participio memorabile videtur, Dracontium saepe, imprimis apud praepositiones, participium perfecti passivi coniunctum cum substantivo posuisse pro substantivo abstracto, velut: IX. 76: „*post Hectora tractum*". IX. 109: „*post raptas praedas*". IX. 188: „*de funere tracto*". X. 272: „*domitis rediebat ab Indis*". V. 32: „*servati civis praemia*". – Hic usus apud Livium frequentissimus est, postea autem magis magisque evanuit et apud Dracontii aequales nunquam fere invenitur. (cfr. Capitol. Aul. Ph. 12: „*post puerum lapsum*".). — Ex Orestis tragoedia huc referenda sunt haec exempla: v. 47: „*post vota soluta*". v. 425: „*post Pergama capta*". v. 471: „*post membra soluta*". v. 807: „*de virgine rapta*".

Pars altera.

I.

De collocatione vocabulorum.

In collocatione vocabulorum Dracontius multas proprietates cum Orestis tragoedia communes habet, quibus necesse est eo ducamur, ut Dracontium illius quoque carminis auctorem esse profiteamur.

Ac primum quidem Dacontius saepe adiectivum a substantivo, ad quod pertinet, separavit praepositione coniuncta cum substantivo interposita. Quod cum in Orestis tragoedia quoque haud rarum sit, ex ea re colligi potest, utrorumque carminum auctorem hanc vocabulorum collocationem adamasse. Dracontii exempla haec sunt: II. 153: „*Spectator ubique Virtutis per cuncta meae*". VI. 32: „*Ut valeam cantare tuos per vota triumphos*". VI. 46: „*armatus fluidis post terga pharetris*". VI. 65: „*Sobrietas per cuncta vigil.* (cfr. VII. 98. VIII. 596. 614. IX. 109.). — Ex Orestis tragoedia haec exempla collegi: v. 101: „*vertat proprios in gaudia planctus*". v. 112: „*Danaae de turribus urbis*". v. 333: „*Emollit Cytherea trucem per proelia Martem*". (cfr. vv. 338. 573. 919.).

Multis locis substantivum ab adiectivo disiunctum est verbo et substantivo cum praepositione coniuncto interpositis, ut puta: v. 120: „*Hannibalisque trucem fregit per bella furorem*". V. 316: „*Pascua cornigeros armant in bella iuvencos*". VI. 68: „*uviferos vibrat super agmina thyrsos*". VII. 95: „*vacuos dat post praesentia cursus*". VIII. 218: „*Iliacas quaerit per litora puppes*". VIII. 536: „*Vivere me gemini iussit sub sorte mariti*". (cfr. IX.

121. X. 10. 22. 40. 205. 273. 298. 377. 496.). — Iam videamus exempla Orestis tragoediae: v. 260: „*Ac diademalem frangit cum vertice frontem*". v. 309: „*orbatum per singula quaerit Oresten*". v. 450: „*Impia sacrilego nupsit post fata marito*". (cfr. vv. 839. 886. 923.).

Saepe etiam Dracontius verba sic collocavit, ut in initio versus legatur adiectivum et sequatur alterum adiectivum, tum verbum, deinde substantivum ad prius adiectivum pertinens denique substantivum pertinens ad alterum adiectivum, velut V. 151: „*Tristia plangentum foedabant ora parentum*". VI. 62: „*Candida legitimas accendens gratia taedas*". VI. 75: „*Florea purpureas retinebant frena columbas*". VII. 20: „*Candida Dictaeae cum cerneret ora puellae*". VII. 22: „*Vesticolae niveos peteret cum virginis artus*". VII. 42: „*Gratia vernantes adnectat pulchra dolores*". (cfr. II. 85. V. 78. VIII. 13. 519. IX. 54. X. 158. 224. 260. 265. 294. 480.). — Eandem vocabulorum collocationem saepe in Orestis tragoedia invenimus: v. 31: „*Maxima fulmineo dictabat dona Tonanti*". v. 32: „*Optima Iunoni scribebat munera magnae*". v. 43: „*Candida fluctivagi tendebant carbasa venti*". v. 632: „*Dardana nocturnus peteret cum castra viator*". (cfr. vv. 40. 50. 113. 118. 119. 128. 230. 253. 273. 432. 524. 568. 798. 805. 962.)

In collocandis adiectivis, quae a nominibus propriis derivata sunt, Dracontius certis legibus usus non est. Nam quamquam persaepe optimos latinitatis scriptores secutus talia adiectiva substantivo postposuit, tamen totidem locos invenimus, ubi substantivum postpositum est, ut puta: II. 150: „*Herculeas spes*". III. 17: „*Romuleam — linguam*". V. 27: „*Martia tela*". VII. 2: „*Fabiani sanguinis*". VII. 140: „*Aeolias — domos*". (cfr. VIII. 1. 14. 34. 71. 139. 218. 228. 235. 464. 469. 497. IX. 64. 78. X. 10. 29. 50. 480.). — In Orestis tragoedia talia adiectiva his locis substantivo antecedunt: v. 75: „*Hectoreos — agros*" v. 109: „*Mycenaeas — oras*". v. 283: „*Agamemnoniam — aulam*". v. 284: „*Pelopeia virgo*". (cfr. vv. 321. 329. 371. 385. 424. 432. 496. 516. 553. 586. 631. 632. 636. 637. 638. 754. 774. 844. 905. 969. 972.).

Multis locis pronomini relativo aut voculae, cui inest vis

relativi, unum vel compluria verba antecedunt, velut: I. 10: „*Artifex natura rerum quis negat concordiam*". II. 92: „*facilis cui turba fluenti Rem pandit*". IV. 13: „*bella — Iuno noverca furens potuit quae victa parare Privigno*". Sat. 92: „*hoc homo quando habeat?*" (cfr. IV. 14. 42. 44. V. 40. 87. 144. 147. 209. 326. 327. VI. 59 VII. 19. 130. VIII. 309. 473. 504. 543. IX. 9. 22. 52. 66. 158 204. 223. X. 60. 105. 137. 351. 354. 370. 541. 582. Sat. 3.). — Cuius rei in Orestis tragoedia haec exempla exstant: v. 34: „*Omnibus et superis, Danais quicunque favebant*". v. 87: „*Nomine tu quocunque dea o praeclara vocaris*". v. 897: „*Pyrrhus numquid fuit alter Egistus*". (cfr. vv. 140. 175. 195. 205. 215. 249. 272. 277. 282. 424. 437. 448. 458. 463. 483. 592. 662. 702. 901. 931. 944.).

Ceterum maxima licentia Dracontius usus est in collocatione verborum. Exempla, ubi metri tantum causa, ut mihi quidem videtur, verbo subiectum postposuit, in quavis fere pagina exstant; qua de causa ea afferre omitto. Interdum autem in initio enuntiati verbum, subiectum in fine collocavit, ut verbis vigorem quendam tribueret aut celerem effectum significaret, velut II. 73: „*dantur post terga pharetrae, Accipit et flammas hominum divumque voluptas, Evolat armatus*". VIII. 45: „*Damnantur gentes, damnatur Graecia sollers Heu magnis viduanda viris, orbatur et Eos Memnone belligero, damnatur Thessalus heros Et Telamone satus, pereunt duo fulmina belli*". — Ex Orestis tragoedia haec exempla adnotavi: v. 164: „*redit ille meus post bella maritus*". v. 218: „*adveniet nostri modo criminis ultor*". v. 498: „*Torqueat auctores scelerum crudelis Enyo*".

Praepositiones Dracontius saepe inter substantivum et attributum posuit, velut: II. 49: „*munere in isto*". II. 54: „*Penei sub fonte*". II. 82: „*longos — in artus*". II. 84: „*pedes — ad imos*". II. 85: „*candida — per colla*". II. 89: „*fluxo — sub tegmine*". II. 115: „*mediaque in voce*". (cfr. IV. 9. 11. V. 5. 188. 192. 258. VI. 38. 51. 53. 86. VII. 23. 26. 44. 73. 150. VIII. 146. 167. 169. 173. 190. 204. 252. 291. 310. 368. 399. 406. 409. 418. IX. 19. 30. 87. 110. 154. 174. 179. X. 29. 97. 309. 412. 429. 466. 472. 480. 501. 506. 519. 555. 590. Sat. 27. 108. 171. 179. 236.).

— Eadem collocatio praepositionum in Orestis tragoedia observatur his locis: v. 45: „*Taurica — ad litora*". v. 55: „*agmine pro Danaum*". v. 347: „*crimine cum gentis*". v. 352: „*patris in occasus*". (cfr. vv. 372. 383. 445. 457. 487. 561. 680. 719. 790. 807. 844. 849. 866. 888.).

Nonnullis locis etiam praepositio bisyllaba simplici substantivo vel pronomini postposita est, velut: IV. 17: „*hoste sine*". VIII. 458: „*quas super*". X. 34: „*hanc propter*". X. 445: „*vos propter*". — Simile exemplum (sed inter substantivum et praepositionem aliud vocabulum positum est) exhibet Orestis tragoedia v. 23: „*Et thalamis vindex thalamos rex ante necatur*". — Praepositio „*cum*" relativo non affixa est v. 517: „*cum quo Pylades etc*".

Etiam coniunctiones et apud Dracontium et in Orestis tragoedia saepe alio loco inveniuntur, quam quo exspectes, velut „*ut*" coniunctio finalis et consecutiva secundum locum obtinet: II. 23. 82. V. 182. VII. 104. VIII. 30. X. 27. Or. 542; — tertium: V. 75. VI. 48. VIII. 12. 242. Sat. 51. — „*si*" secundum locum occupat: V. 8. 56. VII. 88. 102. VIII. 362. IX. 31. 78. 203. X. 455. Or. 297. 467. 689. — tertium: II. 52. 64. VI. 3. VIII. 293. 593. IX. 47. 169. X. 455. Or. 299. quartum: V. 29. 68. 235. VIII. 316, Or. 294. 418. — quintum: IX. 164; in fine enuntiati ante praedicatum legitur: IX. 182. — „*dum*" secundo loco legitur: V. 12. 27. VIII. 60. 450. Sat. 240. 313. Or. 108. 256. 614. 706. — tertio: II. 53. V. 81. VI. 3. VIII. 441. Or. 22. 590. — quinto: Or. 643. — sexto: Or. 554. — „*nam*" secundum locum occupat: IV. 35. X. 209. 384. Or. 361. 677. (cfr. Hor. sat. II. 3. 20. II. 3. 41. II. 6. 78. ep. I. 1. 186. Verg. Aen. I. 444. III. 379. X. 585.). — tertium: IX. 177. — „*cum*" secundo loco legitur: V. 284. X. 406. 447. Sat. 255. Or. 712. — tertio: VII. 20. X. 198. Or. 379. — quarto: V. 254. VII. 22. — sexto: X. 385. — „*licet*" secundum locum obtinet: II. 124. Or. 146. — tertium: IX. 81. — quintum: X. 186. — „*quippe*" secundum locum obtinet: III. 14. Sat. 44. — quartum: Or. 517. — quintum: VIII. 467. — „*ne*" secundo loco legitur: V. 221. 273. Or. 469. — tertio: V. 276. — „*et*" secundo loco

legitur: VI. 89. 122. VIII. 73. Or. 33. 261. 264. 961. — tertio: Or. 756. — quinto: X. 503. „*et*“ cum notione particulae „*etiam*“ ante verbum, ad quod pertinet, legitur; cfr. p. 27. „*ubi*“ secundo loco legitur: X. 371. Or. 867. — tertio: Or. 11. — quinto: V. 32. — „*ut*“ coniunctio temporalis secundo loco legitur: Or. 104. 870. — „*nisi*“ secundum locum occupat: V. 269. Or. 601. — „*quod*“ secundo loco legitur: Or. 870. — tertio: IX. 136. — quarto: Or. 275. — „*quia*“ secundum locum obtinet: VII. 70. VIII. 607. — tertium: Or. 760. — „*nec*“ secundum locum occupat: VIII. 197. Or. 764. 953. — „*sed*“ secundo loco legitur: I. 19. V. 312. VIII 566. Sat. 53. — tertio: III. 2. VIII. 303. — Secundum locum obtinet „*vel*“: II. 68. — tertium „*quam*“: VII. 52. et „*postquam*“: VIII. 588.

II.

De figuris.

Operae pretium non est, omnes, quae apud Dracontium et in Orestis tragoedia exstant, figuras investigare atque enumerare, cum in utroque libello, ut in poematis, permultae inveniantur. Ad meam sententiam comprobandam eas tantum afferam, quae peculiarem quandam vim habent, unde colligi potest, illa carmina ab eodem poeta exorta esse.

Ac frequentissima quidem est „*repetitio*“, quae graece „ἀναφορά“ dicitur; exempla haec adnotavi: I. 6: „*Tunc feras reliquit ira, tunc pavor perterritas*“. I. 8: „*Non lupum timebat agna non leonem caprea Non lepus iam praeda saevo tunc molosso iugiter*“. II. 104: „*Non fuit Hippolytus talis, non pastor ab Ida, Nocturnae fulgore deae non pulcher Iason, Nec Bromius iam talis erit nec magnus Apollo*“. II. 121: „*Quod caelum quod terra fretum quod sidera Pluton*“. VIII. 41: „*Damnantur morte parentes, Damnantur fratres*“. VIII. 166: „*Placetur Iuno, placetur virgo Minerva*“.

(cfr. II. 135. 138. III. 20. V. 104. 119. 166. 174. 206. 243. 252. 318. VI. 37. VII. 48. VIII. 32. 53. 55. 121. 127. 135. 150. 156. 203. 222. 301. 326. 353. 376. 403. 421. 438. 517. 639. IX. 84. 102. X. 3. 8. 15. 39. 46. 87. 177. 210. 286. 348. 357. 362. 368. 375. 404. 436. 583. Sat. 2 30. 66. 91. 112. 124. 131. 248. 251.). — Ex Orestis tragoedia mihi haec exempla videbantur adnotanda: v. 368: „*Sic placet ulcisci Troes, sic perdere Graios*". v. 395: „*nullum nocturna cubantem Classica sollicitent, nullas tuba verberet aures*". v. 470: „*si transitus est mors Si sensus post fata manent, post membra soluta Si remanent animae, si stat post fata superstes Spiritus*" etc. (cfr. vv. 557. 571. 595. 609.).

Etiam „*chiasmum*", qui vocatur, valde adamavit Dracontius, ac simplicem quidem posuit his locis: II. 119: „*Dione Paridem, Lycastum zelat Amazon*". VII. 76: „*It dolor, ira redit*". VIII. 120: „*pater impie, pessima mater*". VIII. 221: „*Pietatis amor, bonus arbiter Idae*". VIII. 288: „*Conubium regni, thalami consortia casti*". VIII. 292: „*Si pudor Iliacis aut mentibus esset honestas*". cfr. VIII. 330. 564. 625. 654. IX. 8. 63. X. 54; duplicem ad misit his locis: I. 7: „*lenta tigris, cervus andax, mitis ursus*". V. 178: „*quem turba veretur, Circumdant famuli, plures stipantur amici*". V. 301: „*largitur honores, Divitias confert, tribuit per bella triumphos*". cfr. VI. 63. VIII. 6. X. 4. 569. — Orestis tragoediae exempla simplicis chiasmi haec sunt: v. 61: „*Oscula pura petens et dans commercia munda*". v. 339: „*Coniugis insidiis, ausu pastoris iniqui*". v. 451: „*thalami rogus et pyra lectus*". cfr. vv. 535. 606. 863; — multiplici semel tantum usus est: v. 17: „*pudor excitat, erigit ira, Mens levat, adtollunt animi, bonus impetus urguet, Dat furor arma pius*".

„*Oxymora*" quoque, quae vocantur, in Dracontii carminibus inveniuntur. Exempla sunto: V. 257: „impietate pius". VII. 101: „*sub voce silenti*". VII. 139: „murmuret os tacitum". VIII. 361: „*feritate pia*". (cfr. Sat. 274.). VIII. 499: „*pallente rubore*". VIII. 500: „*flammis — pallentibus*". X. 18: „*quae solet* — muta loqui". X. 229: „*permixto pallore rubens*". In verborum collocatione hoc oxymoron positum est: VIII. 413: „*potare cibos atque edere potus*". — Orestis tragoedia haec oxy-

mora exhibet: v. 9: „impietate pium". v. 83: „*doluit gavisus Atrides*". v. 350: „*materna noverca*". v. 445: „impia — pietas". v. 603: „pius es pietate repulsa". v. 612: „tacita quos voce monebo".

Porro Dracontius idem vocabulum in eadem forma bis posuit in fine antecedentis et in initio subsequentis sententiae, velut: VI. 35: „*Quas dedit una domus, domus excipit una sorores*". VII. 78: „*Fit medicina furor, furor est vox tessera Martis*". — Eadem figura in Orestis tragoedia adhibita est his locis: v. 756: „*Pyladis me dextra necet, necet ensis et idem*". v. 849: „*Qui famulos matrem, matrem putat esse sodales*".

Alliteratione denique, quam Orestis tragoediae auctorem immodice admisisse Schenkelius (p. 34) iam observavit, etiam Dracontius frequentissime usus est. Exempli causa hos locos affero: VIII. 89: „*Dum pergunt et templa petunt, prorumpit in agmen*". VIII. 143: „*Me stuprum per templa manet, me pessimus Aiax.* VIII. 160: „*Rumpite complexus, quos dant per colla parentes*". VIII. 190: *Pellere pastorem patriis de sedibus*". VIII. 206: „*Nec pudeat quod pavit oves; ego pastor Apollo*". IX. 204: „*Sollicita quem mente timet te plectra tenentem*".



Pars tertia.

I.

De insolito usu nonnullorum vocabulorum.

Priusquam rei tractandae finem imponamus, meo iudicio haud inutile est, cum ad quaestionem, quam nobis proposuimus, diiudicandam multum valeat, aliquanto copiosius verba facere de insolito usu ac notione peculiari nonnullorum vocabulorum, quae apud Dracontium et in Orestis tragoedia inveniuntur.

A. Ex Dracontio haec afferenda puto:

a. substantiva et adiectiva substantivorum vice fungentia.

„alumnus" i. q. servus: V. 55. X. 95. „barathrum" i. q. orcus: IX. 134. X. 414. 434. (cfr. Verg. Aen. VIII. 245. Val. Flacc. II. 192. Sil. Ital. IX. 498.). „*bellum*" dictum de certamine cum feris: II. 94. IV. 28. „*cani*" i. q. cani capilli: VIII. 589. IX. 208. „*capitolia*" i. q. arces: V. 41. VIII. 81. „*carmen*" de cantu avium dictum: X. 507. (cfr. Verg. G. IV. 514. Aen. IV. 462. Ov. met. X. 453. id. her. II. 118.). „*catulaster*": Sat. 225. (Charis. I. p. 65. Prisc. III. 43. id. IV. 18.). „*coma*" dictum de radiis solis: X. 569. (cfr. Catull. 61, 78. et 94. Sen. Oed. 331. id. Herc. Oet. 727.). „duellum" ex antiquo sermone latino repetitum: VIII. 344. „*Fescennina*" i. q. carmina Fescennina: VIII. 644. X. 288. (cfr. Prud. symm. I. 261.). „*facultas*" i. q. potestas: Sat. 177. „*flabellum*" i. q. lingua: VII. 30. „*flosculus*" i. q. barba prima: VIII. 493. „*gremium*" i. q. sedes iudicis, tribunal: VIII. 32. „*iugalés*" i. q. iuncti equi: V. 328. (cfr. Verg.

Aen. VII. 280. Ov. met. V. 661.); deinde „*iugales*" i. q. iunctae columbae: X. 166; tum „iugalis" i. q. uxor: X. 294; denique „*iugales*" i. q. coniuges: X. 270. (cfr. Venant. carm. VI. 2. 76.). „*merces*" i. q. beneficium: VI. 87. „*molossus*" i. q. canis molossus: I. 9. (cfr. Verg. G. III. 405.). „*pars nostra*" ab Aeaco dictum de collegio iudicum apud inferos: IX. 139. „*obreptio*": in inscript. V. post v. 182. (cfr. Frontin. strat. II. 5. 36. Dig. II. 4. 10.). „pignora" i. q. liberi: VII. 55. VIII. 6. 101. 164. X. 365. et alibi. „*populator*" i. q. eversor: IX. 93. (cfr. Quint. declam. XII. 24. Claud. Ruf. I. 35. II. 377.). „praesumptor: V. 91; quod Baehrensium (Fleck. ann tom. 107. p. 268.) secutus codicum scripturae „*praesumptus*" praeferendum esse puto. (cfr. Amm. 26. 8. Hieron. ep. 89.). „*prandium*" i q cena: X. 387. (cfr. Mart. IV. 49. 3.) „*propago*" i. q. causa propagationis: VIII. 10. „reatus" i. q. culpa: X. 394. Sat. 53. 198. 307. „*rostra*" in universum de aliquo suggestu dictum, ex quo quis verba facit: V. 41. 266. „*scholasticus*" i. q vir litteris eruditus: VI. 41. (cfr. Sulp. Sever. dial. I. 9. ibid. II. 10.). „*sessor equi*" i. q. sedens in equo: VIII. 581. (cfr. Sen. de const, XII.) „*species*" i. q. aroma: X. 14. (cfr. Macrob. sat. VII. 8.) „*speratus*" i. q. homo amatus: VIII. 446; „*studium*" idem fere atque „*odium*": V. 17. „*tractura*" i. q. tractus: IX. 149. (cfr. Flav. Veg. de arte vet. II. 59.) „*viror*" i. q. viriditas: Sat. 231. (cfr. Apul. flor. 2. Pallad. Iun. 12.) „*vota*" i. q. nuptiae: VI. 3. 32. 121. VII 7. 9. 62. 138. 157. Sat. 32. (cfr. Apul. met. IV. 26. id. flor. I. p. 342, 27) „*votiva*" i. q. carmina nuptialia: VI. 100. „*urna polorum*" de caelo dictum: IX. 29. „zelus" de aemulatione amantium dictum: X. 424. (cfr. Vitruv. 7. praef. Prud. hamart. 188. Auson. epigr. 77, 3.).

b. adiectiva et participia perfecti passivi.

„*acer*" i. q. celer: Sat. 256: „*acris avis*" (cfr. Verg. Aen. IV. 156: „*acer equus*".). „astriger" i. q. astris ornatus: X. 11. (cfr. Stat. Theb. X. 828. Claud. Get. 245.). „*turbo* belliger" i. q. turbo belli: IX. 71. (cfr. Val. Flacc. V. 617: „*belligeri labores*".). „*benignus*" i. q. mansuetus: I. 4. „*certus sceleris*" i. q.

convictus, reus sceleris: Sat. 158. „*depositus*" i. q. expositus: X. 594. „*devotus*" i. q. deditus: II. 6. VI. 65. (cfr. Phaedr. IV. 5. 6. Claud. Gild. 289.). „*directus*" i. q. erectus: VII. 90. X. 48. „*expositus*" i. q. depositus: VII. 73. „*fessulus*" i. q. paulum fessus: X. 123. (cfr. Apul. anech. 19.). „*fontigena*" i. q. in vel e fonte genita: II. 137. (cfr. Marc. Cap. VII. 1. IX. 308.). „*ignitus*" i. q. igne candens: X. 433. (cfr. Apul. mund. p. 57.). „illisus" i. q. collisus: VIII. 355. „*immodicum tempus*" i. q. nimis longum: VII. 121. Sat. 20. „iners" idem fere atque ignavus, debilis: V. 313. VIII. 362. Sat. 134 218; accedit ad notionem adiectivi „*nefarius*" sive „*nequam*": V. 237. „*iucundus*" i. q. laetus: X. 274. „*laniger*" i. q. lanam tractans: IX. 57. (cfr. VII. 62.). „*medicabilis*" i. q. artis medicinae peritus: IX. 105. „medius" i. q. dimidius: IX. 148. Sat. 89. (cfr. Ov. met. III. 43.). „*mellifluus*": IX. 207. (cfr. Avien. per. 468.). „*oblativus*" i. q. sponte oblatus: VIII. 462. (cfr. Symm. ep X. 43.). Serv. ad Verg. Aen. VI. 190) „*occasus*" i. q. qui occidit: IX. 219. (cfr. „*Sol occasus*": Plaut Epid. I. 2. 41. Men. V. 7. 33.). „*sic positus*" i q. in talem condicionem vocatus: VII. 71. „*profanus*" i. q. nefarius, turpis: X. 15. „*recidivus*": VIII. 311. (cfr. Verg. Aen. IV 344.). „*laude redemptus*" i. q. laude exornatus: VII. 4. „reduces *morsus*" i. q. repetitos morsus: Sat. 274. „*simplex*" i. q innocens: VII. 65. X. 533. Sat. 69. 223. „*submissus*" i. q submersus: X. 87. „*subvectus*" i. q. advectus: X. 312. „*terrenus*" i. q. in terra versatus: X. 191. „vacuus" i. q. vanus: VII. 95. „*totum*" i. q. omnia: II. 35. X. 121. — Imprimis mihi commemorandum videtur, Dracontium adiectiva in „*alis*" desinentia valde adamasse. Inveniuntur enim in illius carminibus haec, quae iam antea ab aliis scriptoribus usurpata sunt: „*australis*": VI. 74. „iugalis": V. 328. VI. 78. VII. 58. X. 270. 294. 328. „*Latialis*": VII. 113. (cfr. Lucan. I. 198. Suet. Cal. 22.) „*larvalis*": VIII. 632. (cfr. Sen. ep. 24. Apul. mag. pag. 314, 35. Ammian. 31. 1.). „maritalis": VI. 50. 104. (cfr. Ov. a. a. II. 258. Val. Max. VI. 3. 10. Iuv. VI. 43.). „*matronalis*": VI. 53. 99. „*mortalis*": VIII. 200. IX. 212. X. 572. „*natalis*": VIII. 435. „pastoralis": VIII. 2. 643, „regalis": VIII. 615. „*sponsalis*": VI. 10. „triumphalis": V. 270. „*ve-*

nialis" significat eum, qui veniam dat: V. 227. (cfr. Ammian. 28. 5.); porro substantivi vice fungitur et pro „*venia*" positum est: VIII. 361. Sat. 121. (cfr. Sidon. ep. VIII. 11). „*vernalis*": X. 115. (cfr. Manil. III. 258.). „vitalis": IX. 96. Sat. 75.

c. verba.

„*abdicare alqd alqua re*" i. q. arcere alqd alqua re: IX. 129. (cfr. Ov. her. IV. 128.). „*adsumere alqd*" i. q. animadvertere alqd: VIII. 175. „*agnoscere alqd*" i. q. cognoscere alqd: X. 91. „*aspergere alqm*" i. q. inflammare alqm: VI. 31, quod alibi plerumque in malam partem usurpatur atque notionem calumniandi habet. (cfr. Hor. sat. I 4. 87.). „*coronare alqm*" i. q. circumdare alqm: VIII. 76. (cfr. Verg. Aen. IX. 380. Ov. met. V. 388.). Insolentius Dracontius verbo „*dandi*" usus est his locis: II. 73: „*dare post terga pharetram*" i. q. pharetram in humeros tollere. (cfr. Ov. met. II. 440.); VIII. 140: „*cadaver per saxa dare*" i. q. corpus per saxa trahere; VIII. 460: „*fors ad Cyprum dederat*" i. q. miserat. — Nec minus libere verbum „*dicendi*" positum est pro „*iubere*": VIII. 177. Sat. 307; pro „*promittere*": VII. 79. „*dimittere alqd*" i. q. praetervehi alqd: VIII. 247. „*effigiare alqd*": VIII. 491. (cfr. Prud. Cath. X. 4. Sidon. ep. VI. 12.). „*egere*" notione postulandi positum est: VI. 15. „*errare*" i. q. peccare: VIII. 56. (cfr. Sal. Iug. 102. 5. ibid. 104. 4.). „*excercere alqd*" i. q. efficere alqd: IX. 88. „*explicare alqm*" i. q. perdere alqm: VIII. 43. „*explicare alqd*" i. q. perficere alqd: X. 402. (cfr. Plin. ep. VIII. 1. 1.). „*exspectare alqd*" i. q. aspectare alqd: IX. 21. „*exstare*" i. q. fieri: V. 90. Sat. 156. „*fateri alqd*" i. q. appellare vel agnoscere alqd: X. 255. „*informare pavidum alqm*" i. q. reddere pavidum alqm: V. 194. „infrendere": VIII. 584; quod praeter Vergilium (Aen. III. 664. et X. 718.) recentiores tantum scriptores admiserunt. „*intendere*" c. inf. coniunctum i. q. studere: VIII. 455. „*levare alqd*" i. q. iuvare, fovere alqd: VI. 19. „*linquere*" i. q. vires amittere: Sat. 39. (cfr. „*linqui*": Ov. her. II. 130.). „*membrare*": VIII. 8, quod uno tantum exemplo confirmatur: Censor. 11. „*merere alqd*" i. q. impetrare, obtinere alqd:

V. 51. VIII. 25. X. 316. 330. 595. Sat. 92. 180; „mereri alqd": V. 60. 329. VIII. 284. 333. Sat. 159. „*metere*" de crinibus tondendis dictum: V. 148. „*minari alqd*" i. q. promittere alqd: Sat. 121. „*negare alqd*" i. q. impedire alqd: IX. 48. „*notare alqm*" i. q. obiugare alqm: II. 48. IX. 123. „*parcere*" absolute positum est, quod alibi non inveni: X. 96. „*bellum perferre*" i. q. bello perfungi: VI. 15. „*perferre alqd*" i. q. afferre alqd: X. 41. 195. „*populari iura*" i. q. iura evertere: VIII. 4 „*litora poscere*" i. q. litora petere: VIII. 540. „*praeiudicare alci*" i. q. nocere alci: V. 249. „*praesentare alqm*": IX. 209. (cfr. Plin. 37. 10. Apul. met. VI. 4. Front. I. 11. 2.). „*procedit alci alqd*" i. q. evenit alci alqd: X. 293. „*rapere flammas*" i. q. flammas concipere: X. 222. (cfr. Catull. 62, 92.). „*refundere alqd*" i. q. reddere alqd: VIII. 269. IX. 148. „*renarrare*" i. q. respondere: II. 40. „*revocare alqd*" i. q. repetere alqd: V. 272. „*rumpere*" dictum de sono, quem classica vel vehementia suspiria faciunt, ut idem fere valeat, ac „*resonare*": V. 17. X. 223. „*scribere alqm*" i. q. carmine celebrare alqm.: Sat. 94. (cfr. Hor. carm. I. 6. 1.). „*sedere*" i. q. iacere vel situm esse: Sat. 128. V. 161. „*sonare*" i. q. percrebrescere: V. 64. X. 373. „*stare per glacies*" i. q. glacie torpere: X. 171. „*stare sub lege*" i. q. legi obnoxium esse: VII. 56. „*stare*" i. q. esse: IV. 16. VIII. 33. „*tabulas calamo sulcare*" i. q. stilo exarare: X. 478. „*summittere alqm*". i. q. mansuefacere alqm: VIII. 418. „superaddere *alci alqd*": X. 427. (cfr. Verg. Ecl. V. 42.). „*superesse alci rei*" i. q. altiorem esse alqua re: VIII. 390. „tractare" absolute positum est: Sat. 229; vis verbi „*tractandi*" aliquantum immutata est atque idem fere valet, quod „*agere de alqua re*": V. 76. 175. „*vacare*" in verbis: „*cur homicida vacas?*": X. 231. idem valet atque: „*cur ab homicidio vacas?*" „*vaporare*" de igne amoris dictum: II. 9. X. 114. „*vendi*": IX. 215. (cfr. Iustin. XI, 4. id. XXXIV. 2.). „*venire*" i. q. esse: VIII. 524. „*ventilare alqm*" i. q. refrigerare alqm: VI. 7. „*venare*" poetice dictum pro „*splendere*": VI. 9; „*vindicare alqm*" i. q. vindicare in alqm: V. 159. „*zelare aliquem*" i. q. amore alicuius ardere: II. 119. (cfr. Tertull. adv. Marc. IV. 36. August. conf. I. 7.).

d. adverbia.

„*exhinc*“ i. q. iam: VIII. 337. (cfr. Apul. met. XI. 34.). „interius“, quod alibi rarius est: VI. 16. „*iugiter*“ i. q. perpetuo: I. 9. (cfr. Apul. mund. 30). „*male*“ i. q. maligno animo: VII. 127. 129. 130. „*merito*“ i. q. re vera: V. 14. „*mox*“ i. q. vix: VIII. 529. Sat. 231. „*nimis*“ i. q. valde: X. 56; quae particulae notio haud raro invenitur apud veteres comicos, sed a sermone posteriorum scriptorum aliena est. „nimium“ i. q. valde: II. 162. (cfr. Verg. G. II. 458.). „*passim*“ i. q. temere: X. 313. (cfr. Lactant. III. 9. 5.). „*procul*“ de tempore dictum est: Sat. 221.

B. Ex Orestis tragoedia:

a. substantiva et adiectiva substantivorum loco posita.

„alumnus“ i. q. servus: v. 610. „*alumna*“ i. q. serva: vv. 83. 456. „*ausus*“: v. 339. (cfr. Val. Flacc. III. 613.). „barathrum“ i. q. orcus: v. 483. „*calculus*“ notione translata positum est v. 300: „*si calculus esset*“ pro „*si suffragium ferretur*“. „*sceleris complex*“ i. q. sceleris particeps: vv. 678. 758. (Ambros. de off. III. 4.). „*cornipes*“ pro „*equo*“: v. 297. (cfr. Claud. fescenn. XI. 11.). „*dominator*“: v. 410, quod verbum nusquam alibi exstat, nisi in Cic. de nat. d. II. 2. 4. (cfr. „*dominanter*“: Dracont. de deo. I. 331.). „duellum“: vv. 110. 388. „*facula*“: v. 822. (cfr. Varro de re rust. 37. 3.). „*fenestra*“ i. q. vertex: vv. 211. 256. „*germen*“ i. q. progenies: vv. 29. 409. „*indumentum*“: v. 211. (cfr. Gell. XVI. 19. 12.). „iugalis“ i. q. uxor: v. 247. „*luctamen*“ i. q certamen: v. 295. (cfr. Lamprid. Alex. Sev. 30.). „pignora“ i. q. liberi: vv. 94. 245. 289. 312. 378. 402 et alibi. „*praeventor*“ significat eum, qui primum aggreditur: v. 213. (cfr. Ammian. XVIII. 9.). „prandium“ i. q. cena: v. 857. „reatus“ i. q. culpa: vv. 66. 932. 957. „*sors*“ significat eam praedae partem, quae alicui sorte evenit: v. 133. „*temerator*“: v. 951. (cfr. Stat. Theb. XI. 12.). „zelus“ de aemulatione amantium dictum: v. 165.

b. adiectiva et participia perfecti passivi.

„astrifer": v. 243. (cfr. Val. Flacc. VI. 752.). „belliger": v. 173. „*bellisonus*": v. 634. (cfr. Paul. Nol. natal. S. Fel. VIII. 23.). „*congruus*": v. 186; hoc verbum apud Plautum tantum et nonnullos recentiores exstat. „*fluctivagus*": v. 43. (cfr. Stat. silv. III. 1. 84. Theb. I. 271.). „illisus" i. q. collisus: v. 618. „iners" idem fere significat, atque „*ignavus, debilis*": vv. 195. 276. 453. 523. 583. 768. „medius" i. q. dimidius: v. 806. „*palmatus*" i. q. palmis ornatus: v. 112. „*plectibilis*" i. q. verberibus dignus: v. 426. (cfr. Sidon. ep. IV. 6. cod. Theod. XIV. 3. 16. XII. 1. 161.). „redux" i. q. repetitus: v. 154. „*russeus*": v. 941. (cfr. Apul. met. II. 7.). „*soporus*" i. q. soporem afferens: v. 623. (cfr. Verg. Aen. VI. 390.). „*vacuus*" i. q. vanus: vv. 268. 840. „*volabilis*" i. q. caducus, fluxus: v. 67. (cfr. Ov. met. X. 519. Sen. ep. 123.). — Ut in aliis Dracontii carminibus, sic etiam in Orestis tragoedia permulta adiectiva in „*alis*" desinentia repe- riuntur (Maehly, p. 11. Schenkl. p. 30.): „*decennalis*" i. q. post decem annos: v. 507. (cfr. Hieron. adv. Iov. I. 48. Ammian. XV. 12.). „*furialis*": v. 475. „iugalis": v. 248. „*iuvenalis*": v. 617. „*legalis*": vv. 892. 948. „maritalis": vv. 238. 433. 540. „matronalis": v. 421. „*medicinalis*": vv. 20. 923. „*Minervalis*": v. 34. (cfr. Tertull. de spect. 11.). „mortalis" i. q. mortifer: vv. 497. 823. „pastoralis": v. 270. „*poenalis*" i. q. poena dignus: v. 306. (cfr. Salvian. Avar. II. 10.). „regalis": vv. 24. 141. 416. 456. 648. 854. „*rogalis*": v. 407. (cfr. Ov. am. III. 9. 41.). „*triumphalis*": v. 139. „vitalis": v. 172.

c. verba.

„*cluĕre*" coniugatione tertia flexum: v. 531. (cfr. Auson. prof. 21. Prud. in Symm. II. 584. Symm. ep. I. 1.). „*crudescere in iras*" i. q. ira inflammari: v. 102. „*dictare*" i. q. dare, dedicare: v. 31. „*disponere*" i. q. mente agitare: v. 155. (cfr. Pallad. April. II. 1.). „*exhibere*" (cfr. Dig. 43. 29, 1: „*in publicum producere, videndi tangendique hominis facultatem praebere*".): v. 889. „*exsertare*": v. 212. (cfr. Stat. Theb. I. 412.). „infrendere": v. 581. „*introgredi*":

v. 695; quod verbum nusquam legitur, nisi Verg. Aen. I. 524. „*ligare alqd*“ i. q. claudere alqd: v. 699. „mereri alqd“ i. q. impetrare sive parare alqd: vv. 753. 814. „*perfurere*“: v. 845. (cfr. Verg. Aen. IX. 343.). „*perurguere*“: v. 144, quod verbum apud Suetonium (cfr. Tib. 25.) et recentiores tantum usurpatum est. „*poscere alqm*“ i. q. supplicare alci: v. 860. (cfr. Verg. Aen. I. 666.). „praesumere *alqd*“ i. q. temere suscipere alqd: v. 930. (cfr. „*praesumptor*“: Drac. V. 91.). „*retorquere verba ad alqm*“ i. q. respondere alci: v. 718. „*scribere alci alqd*“ idem fere valet, quod „*dedicare, tribuere*“: v. 32. „*sonare*“ i. q. clamare: v. 645. „*sponsare*“: v. 78. (cfr. Tert. de virg. veland. 11.). „superaddere *alci alqd*“: v. 200. „tractare“ absolute positum est: v. 920. „*tractare alqd*“: i. q. agere de alqua re: vv. 334. 939. 947.

d. adverbia.

„interius“: v. 829. „*melius gavisa*“ i. q. magis gavisa: v. 227. „male“ i. q. nimis: v. 707. (cfr. „*male concitus axis*“: Sil. VIII. 284.). „nimium“ i. q. valde: v. 291.

II.

De noviciis.

His expositis iam restat, ut pauca dicamus de verbis ac formis noviciis, quae apud Dracontium et in Orestis tragoedia exstant, unde id saltem colligi potest, auctores utrorumque carminum eodem tempore remoto ab aetate optimorum sermonis latini scriptorum vixisse.

A. Ex Dracontio:

a. substantiva.

„*praedux*“: III. 15. X. 131. „*relatrix*“: IX. 17.

b. adiectiva.

„*blandifluus*“: VI. 76. VIII. 13; quod adiectivum Dracontium secutus etiam Venantius Fortunatus admisit: carm III. 12. XI. 10. 10. „*doctiloquax*“: Sat. 61; (cfr. „*doctiloquus*“: Enn. a. Varro: de ling. lat. VII. 41.). „*mollifluus*“: VII. 11. Ex Graecorum sermone traductum est: „*masagenes*“: VIII. 23. „plectrifer“: X. 285. „*triumphiger*“: Sat. 22. „*vesticola*“ i. e. „*quae Vestam colit*“: VII. 22. Atque adiectivis in „*alis*“ desinentibus addidit hoc novicium: „diademalis“: Sat. 33.

c. verba.

Formam activam habent apud Dracontium contra consuetudinem haec verba: „*dedignare*“: IX. 28. „*epulare*“: Sat. 122. (cfr. Prisc. VIII. 25.). Apud alios scriptores non inveniuntur: „*discipulari*“: Sat. 154. „*praegnari*“: X. 577.

B. Ex Orestis tragoedia:

a. substantiva.

„*adoratus*“ i. q. adoratio: v. 465. „*iugulatrix*“: v. 590.

b. adiectiva.

„*planctiger*“: v. 118. „plectrifer“: v. 86. „*pectoreus*“: v. 567. „*somniger*“: v. 805. (cfr. Dracont. de deo. I. 212.). „*undivagus*“: v. 363. (cfr. Coripp. Iohann. VI. 342. VII. 344. Pallad. epigr. Anthol. lat. V. 7. ed. Burm.). Atque adiectiva novicia in „*alis*“ desinentia: „diademalis“: vv. 260. 319. „*coruscalis*“: v. 244.

c. verba.

„*extorpēre*“: v. 180. (cfr. „*extorpescere*“: Venat. vit. Mart. I. 240.). „*reperdere*“: v. 179. „*recerpere*“: v. 397.

Ex tali, quam vidimus, elocutionis similitudine, quae Dracontii carminibus cum Orestis tragoedia intercedit, luce clarius elucet, cogitari non posse, Orestis tragoediam ab alio viro, quam a Dracontio conscriptam esse, velut a praeceptore eius, quod M. Schmidtius putat, nedum a viro, qui ne minima quidem societate cum Dracontio coniunctus esset, quod Maehlyus putat, qui dicit, Orestis tragoediam a Graeco quodam compositam esse. Itaque videmus etiam hac commentatione comprobatum illud Woelfflini dictum (mus. rh. tom. 29. p. 282.): *„Wie ein Gemälde seinen Meister verräth oder mindestens die Schule, der es entstammt ist, so muss auch die S p r a c h e und der Vers als ein Erzeugniss der Kunst den Urheber der Poesie und die Zeit der Entstehung erkennen lassen. . . . . . Geistreiche wie geistlose Schriftsteller tragen in Vorzügen und Schwächen ein so charakteristisches Gepräge, dass der Forscher seinen Mann unter Hunderten wiedererkennt, so gut wie wir aus der Adresse den uns schon von früher her bekannten Schreiber eines Briefes erhennen"*



[redacted]

